MVSICES POETICÆ

Siue de Compositione Cantûs.

Præceptiones absolutißimæ Nunc primùm

à

F. IOANNE NVCIO

Gorlicensi Lusatio, Abbate Gymielnicensi in lucem editæ.


Typis
CRISPINI SCHARFFENBERGI
Typographi Nissensis.

ANNO M. DC. XIII.

Ἀναγεάμμα ex nomine Adm. Rever. Dni. Abbatis

Joannes Dornius.

Ornans Dei Novis.



PASTORALE pedum tribuit tibi Dictio fratrum
Tunc Benè res agitur: Cauti cum fræna capessunt
Singula Nam si quis Lustravit tecta, domosq;
Annis præteritis: vidit lacrymabile damnum
Collapsum templum penitusq; Monastica claustra.
Perge NOVIS igitur picturis, atq; figuris
ORNANS ritè DEI cultum pietatis amore,
Templa sacris reparare Locis, Arasq; Dicare
Impellente DEO sensim Labentibus Annis.

Theodoricus Rinander Turingus Erphordensis.
Schonvvaldensis Parochus.

ADMODVM REVERENDO IN Christo Patri Domino JOANNI DORNIO Illustris Cœnobij RVDENSIS, D. Providentia Abbati Dignissimo, &c.

Fr. JOANNES NVCIVS ejusdem Monasterij, & Ordinis Professus Abbas Gemelnicensis

SEx omnibus quæ me ad editionem, harum de Musica Poëtica præceptionum impulerint caussis Rever: in Christo Domine Abbas omissis omnibus aliis, duas duntaxat, unam videlicet tuam, alteram hic afferam meam. Inter primam tuam pono petitionem, quâ hanc meam obtinuisti editionem, qui sicut à natura bonus, relligiosus, ac verè pius, sic bonarum omnium artium existis Promotor, quod nemo negare, & alij in te nunquam satis laudare poterunt. Meam vero hanc esse, & semper fuisse primariam non diffiteor, ut multorum crassam ignorantiam cui semper adjuncta est impudentia, hac mea evulgatione reprimerem, illorum scilicet, qui sibi Componistarum, ut vocant, nomen usurpant, & tamen hanc dulcissimam artem nec à limine salutarunt, sed vix emendicando, & suffurando à Clavicordijs fortassis clausulis & concordantijs, sine omni artis scientia chartis illinunt, & se

pro exercitatissimis in arte Symphonetis, imperitis & coecis, quorum duces sunt venditant, quos vellem, ut considerarent, Deos bona sua nō nisi laboribus vēdere mortalibus, fortasse sibi non tantum præsumerent, alijsq; se ridendos non propinarent, neq; divinam hanc artem tam turpiter, & temerariè prostituerent. Pro compescenda igitur horum temeritate, & discentium juvanda aviditate, utq; suus Musicæ restituatur nitor, qui ferè horum quorum infinitus est apud nos numerus, protervia in Ecclesia evanuit, tuæq; inprimis, ut dixi, satisfacerem petitioni hanc meam editionē, lucem aspicere volui, ut qualis sit ipsa loquatur, non enim proposui, quod alij ante me fecerunt, has meas merces ut laudentur, alijs extrudere, ipsa enim qualis sit, cum habeat ætatem loquetur pro se: nec vino vendibili opus est suspensâ hederâ. Tuum tandem profectò est quicquid hic affero, tale scilicet quod à multis magni nominis Musicis, proprijs filiis denegatum fuit sæpissimè, neque ad alium pertinere debuit. nisi ad te, qui studiorum horum & dulcedine, & jucunditate non parum afficeris. Suscipiant igitur hunc meum laborem, Tyrones quem propter te & ipsos subij, & propter bonum publicum nunc non invitus emitto. Quod si aliquando utilitatis quid inde acceperint discentes, hoc tibi totum referant acceptum. Quem diu benè præesse, & Valere exopto. Ex Claustro meo Gemelnicensi. Calendis Decemb: 1612.

T. R. D.

Venerans

Fr. Joh: Nucius Abbas.

Proe-

Proemium continens aliquot Musices Poëticæ utilitates.

VT in omnibus aliis actionibus, prima de fine seu usu suscepti operis, vel laboris cogitatio esse solet: Ita qui ingenuas profitentur artes rectissimè de fine seu usu suæ artis monent, ut eius desiderio accensi auditores alacrius discendo insistant, nec laborum mole absterreantur. Nam cùm verum nimis sit, quod vulgò dicitur. Ignoti nulla cupido & juventus alioquin facilè fastidire eximias disciplinas soleat, rectè ad discendum artes Ecclesiæ & humanæ societati necessarias vtilitatum amplitudine tenellæ mentes accenduntur & inflammantur.

Quare, cùm hæc Musicæ Poëticæ præcepta, ex ore olim Iohannis VVinckleri Mitvveidensis Musici sui temporis non postremi Præceptoris mei, privatim excepta, nunc verò qualicunque experientia per annos 42. in proprium meum usum ex probatissimis artis Symphonetis congesta, comportata & aucta non invitus aliis etiam communicare decreverim, non abs re me facturum,

arbitratus sum, si prius, quàm in ipsa artis præcepta descenderem, aliquot saltem eius utilitates perstringerem.

I. Servit itaq; primum Musica Poëtica, laudibus & præconiis divinis. Nam & sacra oracula concinnis numeris ornat & posteritati dicta Prophetica & Apostolica modulis inclusa consecrat, quæ, ut citius accipiuntur: sic tenacius hominum memoriæ inhærent, Atq; ideo Moyses, Salomon, David & alij pij reges & Prophetæ veteris testamenti, cœlestem doctrinam numeris inclusam, in publicis congreßibus populo canendam proposuerunt, ut unà cum suavitate & dulcedine rerum bonarum atq; utiliũ, doctrinæ genus juventuti notum fieret, ac ut Basilius inquit, Pia relligio sensim animis illaberetur.

II. Deinde non tantum ad morum gubernationem, seu ad motus animi sub certa regula rationeq; moderandos conducit plurimum (Virtutes enim gignit, & ornat genitas) Vnde Plato politico Viro Musicam necessariam esse dixit: sed mirabili vi & efficacia, torporem & somnolentiam ex hominum cordibus excutit, & ad verum timorem Dei, ardentem invocationem & gravem ardorem pectora exuscitat. Ac ideo omnibus temporibus adjunctus fuit veræ doctrinæ suavis cantus, non tantũ voluptatis & delectationis gratia. Verùm multò magis, ut esset quoddam incitamentum, καὶ παιδαγγιὰ piarum cogitationum & affectuum,

& ex

& ex anima incidentes pravas cogitationes, imo Diabolum pelleret ac fugaret. Et sanè quis tam ferreus est, qui cum beneficium redemptionis humani generis sonoro cantu publicè celebrari audit, non toto pectore loëtetur, & in Domino gaudeat, Deoq; grates dicat. Certum est enim miraculoso modo, diuersis harmonijs diuersos cordis & Spirituum motus excitari. Rex Dauid hunc Musicæ vsum perpendens, non solum variorum instrumentorum Musicalium inuentor extitit, vt Josephus lib. antiquitatum 7. narrat: sed & Leuitas edocuit, ac canentium choros distinxit, vt secundum instrumenta Deo Opt: Max: hymnos edicerent, per Sabathorum dies atq; solennitates. Vnde & Christianos primitiuæ Ecclesiæ, stato tempore ante lucem conuenire, carmenq; Christo suo secum inuicem dicere solitos, narrat Ethnicus ille Plinius Junior lib. 10. Epistolarum, nimirum quod ad exuscitandos animos, deuotionemq; vtiles esse harmonicos concentus Ecclesia judicauit.

III. Ornamento est Ecclesiæ mellitus concentus in quo, vt omnia ordine & decenter fiant, grauissimus Apostolus præcipit. Ac sanè ob nullam aliam caussam notitias numerorum (quæ principia sunt omnis harmonicæ modulationis) humanis mentibus insitas esse, sciamus quàm vt perpetuò diuina beneficia, generi humano collata pectore & ore sonemus: id quod S. S. Patriarchas, Reges ac Prophetas, Cantu pariter ac instru-

mentis fecisse constat: Sicut & Paulus ad Coloss: 3. hortatur. Digni itaq; laude sunt Ecclesiarum gubernatores, qui exemplo primitiuæ atq; Orthodoxæ Ecclesiæ, juxta Catholicam S. scripturæ, patrum expositionem, ac Verum Sacramentorum vsum, eam in publicis Ecclesiæ congressibus exercent Musicam, quæ & mentes ad spirituales motus exuscitat, & Ecclesiam ornat. Hinc cũ Idolatricæ gentes fictitijs suis numinibus, tales cultus præstiterint, ac suauissima Musica sacrificia peregerint: quanto magis nos Christianos hoc decet, qui verum Deum missione filij, alijsq; illustribus testimonijs patefactum, in publica congregatione inuocamus, colimus ac veneramur. Quantum vero dedecus sit dulcissimam artem templis explodere, quantumq; Sacrilegium committant, qui contra instituta veterum, imo contra verbum Dei Ecclesias hoc ornamento spoliant, quo etiam spiritu agantur isti confusionum καὶ ἀταξίας authores, manifestius est, quam quod oratione explicari necesse sit.

IIII. Musica Poëtica his, qui mediocres in ea progressus fecerunt, instar testudinis, Cytharæ vel alterius instrumenti Musici est, tristem melancholiam discutiens, cogitationes intra metas coërcens, fastidium lassitudinemq; animi pellens ac lætitia ac delectatione cor afficiens. Etsi enim inter componendum non in aures occurrunt soni, præsertim incipientibus, tamen suauissimarum rerum tractatione mens accensa sic ob-

sic oblectatur, ac si coram canentium choros audiret.

V. Non solùm ad rectè judicandum de quibuslibet Harmonijs facit plurimùm, vt vulgò dicitur: Artifices de arte judicant, verum Tyrones etiam sine fastidio in Practicæ præceptis exercet, & citra molestiam ad rectius, certiusq; canendum assuefacit. Redduntur enim lucidiores huius artis adminiculo Practicorum de Clauibus, Interuallis & Modis præceptiones.

VI. Est & illa non contemnenda vtilitas, quod cantiones scribentium negligentia, aut Typographorum incuria corruptos facili negocio corrigit, emendat ac Pristinæ integritati restituit Poëticus Musicus, quòd infeliciter ac ineptè alius tentauerit.

VII. Non parùm etiam proderit, vel exigua saltem huius artis cognitio Organistis rudioribus præsertim ac imperfectioribus in Ecclesijs Collegiatis aut Monasterijs inseruientibus, in quibus adhuc Choralis cantus in quotidiano vsu esse solet, vt sciant ad Introitus, Gradualia &c. quodammodo instituere & formare cum fugis inceptiones suas, quòd sine huius artis adminiculo nemo rectè, nisi valde exercitatus, præstabit, ita & audientes quid ludatur facilè percipient: & hoc modo fiet, vt pristina Maiestas Ecclesiastico Cantui restituatur, & leuitas quàm multi hodie sequuntur, ab Ecclesia relegetur. Sæpè enim pro Introitu alijsq; ex leuissimis & obscænis cantionibus, clausulas desumi & ab eiusmodi imperitis in Organis decantari, non

ſine toëdio audiuimus. Quæ leuitas ab Eccleſiarum rectoribus ferenda non eſt: Nam cum præcipiente Apoſtolo, Omnia in Eccleſia ordine & decenter fieri debeant: valde congruum erit, ut Inſtrumentalis vocali reſpondeat Muſica, &c.

Hæc de Poëticæ Muſicæ utilitatibus breuiſsimè annotaſſe ſufficiant.

Nunc ad ipſa artis præcepta, ſequentibus comprehenſa capitibus accedamus.

Caput

CAPVT PRIMVM.

De definitione Musices Poëticæ: de differentia sortisationis & compositionis, deq; contrapuncto & eius tribus speciebus.

Quid est Musica Poëtica?

EST, quæ non tantum nuda speculatione ac comtemplatione artis, neq; solo exercitio, vt Theorica & Practica contenta est, sed in opus erumpens, novos concentus disparibus vocibus incedentes, artificiosè producit.

Quem dicimus Poëticum Musicum?

Qui non solum Præcepta Musicæ apprimè intelligit, & iuxta ea rectè ac benè modulatur, sed qui proprij ingenij penetralia tentans, nouas Cantilenas cudit, & flexibiles sonos pio verborum pondere textibus aptat. Talem artificem Glareanus Symphonetæ appellatione describit. Sicut Phonasci nomine Cantorem insinuat. Porrò tales artifices claruerunt, primum circa annum Christi 1400. aut certè paulò post. Dunxstapli Anglus à quo primum figuralem Musicam inuentam tradunt. Dupsai Binchoy per quos Musicam celebriorem redditam scribunt. Iohannes Okbenhaim vel Okbenkem, Busuóe, Charonte Iosquinus, Isaac, Crequillon, Gomberth, Clemens non Papa, Senftius Verde-

Verdeloth, Lerithier, Stoltzer, Lemlin, Iacchet, Pamminger, Heigell, Dominicus Finot, Iohannes Cortois, Benedictus Ducis, Claudin, Carpentras, & infiniti alij, quorum industria, artem hanc nobiliorem illustrioremq; factam esse nemo ignorat.

Quot habet species Poëtica Musica?

Vnam tantum: videlicet Contrapunctum, quem alio nomine compositionem dicimus.

Est ne Contrapuncti & Compositionis aliqua differentia?

Quidam has voces distinguentes, vtramq; sic definiunt. Compositio est diuersarum Harmoniæ partium seu vocum per discretas concordantias in vnum collectio. Hoc est. Est Harmoniæ per discretas voces & distinctas concordantias artificiosa Ordinatio.

Contrapunctus vero est plani Cantus diversis melodijs incedentis, subita ac improuisa ex sorte ordinatio. Ex quo liquet Contrapuncti nomine Sortisationem comprehendi. Est autem Sortisatio, *idem quod vsualis Musica, cum sine arte fortuita fit & improuisa Consonantiarum coaptatio, quà canendi forma fossores metallici, equites, sartores, sutores, & reliquum mœchanicorum vulgus in publicis tabernis utitur.*

Quid est Sortisatio

Tamen excellentes Musici, & qui in Sacellis sunt Pontificiis, Imperatoriis ac Regiis hoc canendi genere utuntur.


Et si

Et si magna est humanæ mentis acies, magnaq; vis exercitatorū Musicorum, tamen qui per totam Cantionem se sortisaturos, hoc est plano Cantui Concordantes voces, saluis consonantiarum legibus, adjecturos autumant, & rationis judicio, & communi Musicorum turbæ adversantur. Quis enim, tam est acuti subtilisq; ingenij, vt alterius cogitata perquirere poßit? quod cum sit impoßibile, & vix inter duos, nequaquā plures, artifices tamen solos, fieri poßit, sequitur nullā dari certitudinem ejus canendi consuetudini, quæ fortuitas consonantias miscet, & non certis ceu axiomatibus & fundamentis innititur. Accedit hoc, quod ars nobilißima ac certißima ea ratione dubia ac incerta efficitur, quod quam sit de ingenuis disciplinis absurdum pronunciare, omnes docti intelligunt. Ac nisi linguæ volubilitate, vocisq; agilitate, ad quam à pueris in Musicorum scholis assuefiunt, nos præcellerent exteræ nationes, eaq; inter canendum vicia tegerent non injuria commissorum vitiorum arguerentur. Relegata igitur à toto hoc negocio Sortisatione, immota ac inconcussa compositionis præcepta discamus, & juxta ea melos harmonicum instituamus. In exordiis tamen fugarum (quoniam naturali feruntur ordine, & quasi congenitæ videntur mentibus) sicut & in clausulis, quas formales Musici appellant, aliquid concedi artificibus potest, qui longo artis usu habitum quendam in fugis progrediendi sibi compararunt.


Quid in Tyrone huius artis initio requiritur?

Cognitio Contrapuncti, qui docet, quomodo in certis distantijs & succeßione seu progreßu Harmoniæ, voces sibi invicem sint opponendæ. Dicitur autem Contrapunctus, quasi contrapositis vocibus concors concentus arte probatus. Vel quasi dicas, punctus contra punctum, eò quod, Cantus, Altus Tenoris & Basis notæ, in quinq; lineali systemate, ceu milites in acie sibi invicem opponuntur.

Exemplum J. Nucij.



Est ne



Eſt ne Contrapunctus vnius generis?

Non, ſed eſt triplex: { *Simplex,* / *Floridus ſeu fractus &* / *Coloratus.* }

Quid eſt ſimplex Contrapunctus?

Simplex à notarum & menſuræ ſimplicitate, & æquabilitate dictus eſt, cum ſingulæ oppoſitæ notæ ſunt ejuſdem ſpeciei, quantitatis & valoris, vt cum Choralis nota contra Choralem ponitur. Hujus Contra-

puncti vsus in Psalmodijs, & Carminum generibus, ac præcipuè Lyricorum Odis est præcipuus.



Quid est Contrapunctus floridus seu fractus?

Primos figurales Musicæ inventores ad simplicem Contrapunctum instituisse Harmonias verisimile est. Postquam autem artificum industria cultior est reddita Musica, tum demum floridum cœpisse contrapunctũ consentaneum est. Ex parvis enim initijs maxima sumunt incrementa honestæ disciplinæ. Porrò floridus seu fractus Contrapunctus dicitur cum ad Gregorianum seu Choralem Cantum quoquo modo pictas & exornatas diversarum figurarũ notas accommodamus. Vocatur fractus eò quod reliquarum vocum notæ, quæ ad Choralẽ applicãtur, in minores notarum figuras resolutæ quasi in minutias frangãtur ac comminuãtur.



Est au-

Est autem hujus Contrapuncti, peculiaris cum suavitas, tum majestas ideoq; veteribus Ecclesiasticis gratissimus fuit. Exempla hujus speciei sunt VValtheri. **Nu bitten wir den H. Geist:** *Clementis Fremuit Spiritus, Item si diligis me Simon. Item Circundederunt me Josquin stabat mater. Item hæc dicit Dominus 6. Voc: Item huc me sydereo 6. Voc: Adami Reineri officium de Nativitate. Et qui omnium maximè in hoc contrapuncto laboravit, Ludovicus Senflius Isaaci discipulus, ac Civis olim Tigurinus in Vita in ligno, Ave Rosa. Grates nunc omnes. Ave Maria. Orl: Veni S. Spiritus 6. Voc: Joh: Nucij. Benedictus Deus. 6. Voc.*

Quid est Coloratus Contrapunctus?

Cum nec Choralis nota Chorali (ut in simplici contrapuncto, nec plano cantui diversarum figurarum notæ, ut in florido,) accommodantur sed per discretas concordantias, pro multiplici signorum ac proportionū varietate, ex diversis figuris seu notis artificiosa Harmonia constituitur. Ac vocantur hujus Contrapuncti vulgo Cantiones Motetæ fortassis, à figurarū multiplici mutatione ac varietate. Vt enim res magna est figurarum inventio: ita in primis hæc contrapuncti species ijsdem delectatur: adeò ut producta Harmonia hisce ornamentis destituta, pro artificiosa non accipiatur. Porro in hoc Contrapuncto olim claruit Johannes Okkenhaim Belga, qui ingenio omnes sui ævi

excelluisse scribitur, inventione ac ingenij acrimonia prorsus admirabilis, quippe quem constat 36. Vocibus garritum quendam instituisse. Similiter in hac specie palmam obtinuit, summus ille Musicorum Coriphæus Jodocus à Prato, quem Belgica lingua, in qua natus fuit vulgus Josquinum, quasi, dicas parvum Jodocum seu Jodoculum, ab exili forsan & parva statura dixit. Nam de hoc præstantissimo Symphoneta, sic judicat Glareanus lib: 3. sui Dodecachordi cap: 24. cum inquit. Huic viro si de duodecim modis, ac vera ratione Musicæ notitia contigisset, ad nativam illam indolem, & ingenij qua viguit acrimoniam, nihil nostra ætas augustius in hac arte, nihil magnificentius producere potuisset. Et paulò post. Nemo hoc Symphoneta animi motus in cantu efficacius expressit, nemo felicius orsus est, nemo gratia ac facilitate cum eo ex æquo certare potuit. Clarus in hoc contrapuncto quoque extitit Iacobus Obrecht, & ipse Belga ac Præceptor Erasmi Roterodami. Nam præter alia innumera ingenij monumenta, egregiam Missam, & quæ doctis admirationi fuit, una nocte composuit. Nec postremum locum in hoc numero tenet, Heinricus Isaac Germanus qui tempore Politiani vixit, ac propter egregiam artis Musicæ scientiã Italis quoq; notus fuit. Sic Petrus de Varne, Brummelius, Johannes Moriton Gallus, Manchiceurt, & alij multi huius contrapuncti celeberrimi artifices extiterunt ex quorũ officina

postea

postea prodierunt, ac tanquam ex traduce propagati sunt. Nicolaus Gomberth Josquini discipulus, Nobilis Clemens non Papa, Crecquillon, Verdeloth, & mille alij, quorum industria notior est, quam ut illustratione nostra indigeat. Hæc de tribus Contrapuncti speciebus breviter monuisse sufficiat. Porro hortator sum discentibus hanc artem, ut cognitis concordantiarum & discordantiarum præceptis, in simplici contrapuncto, aliquandiu desudent, donec temporis successu in reliquas species felicius descendere liceat.

In simplici contrapuncto primo desudandum.

CAPVT SECVNDVM.

DE CONCORDANTIIS AC DISCORDANTIIS.

Tractaturi Consonantiarum doctrinam, initio considerabimus, ex quibus rebus seu qua materia, consonantia constituatur: & quomodo aurium sensu ea examinetur ac diiudicetur.

Vnde Constituitur Consonantia seu quæ est materia eius?

Fit ex sonis seu phtongis commensurabilibus, hoc est, certa proportione differentibus. Non enim ex quavis proportionum commixtione conso-

consonantia nascitur: Sed ex his solummodo, quæ melo harmonico idoneæ sunt, constituitur. Porro de Consonantiarum ortu seu generatione Mathematicorum fontes consulendi sunt.

Vide Musicam Speculativam Ioannis de Muris. Multa quoque scripsit Georgius Valla in lib. expetendorum et fugiendorum.

Quomodo fit ut aurium sensu percipiatur?

De modo quomodo in aurem incidat, & sensu dijudicetur authorum opiniones sunt dißimiles. Platonis sententia his verbis declaratur, Necesse inquit est, velociorem esse acutiorem sonum, hic igitur cum gravem præcesserit in aurem celer ingreditur, & jam laßior factus, iterato motu revertitur gravior. Et proinde, cum graui mixtus, similis occurrit unamq; consonantiam miscet. Verum Nicomachus id non arbitratur dictum veraciter, itaq; Platonem reprehendit. Quin & cum D. Severini aliarumq; concordantiarum desitionibus, hæc sententia pugnat.

Quid ergo est Concordantia sive Consonantia?

Est secundum Severinum Stapulensem, & secundum Boëtium lib: 1. cap: 8. aliosq; Musicæ scriptores, acuti grauisq; soni mixtura suaviter uniformiterq; auribus incidens, vel ut idē Severinus inquit. Est dissimilium inter se vocum seu sonorum in unum redacta concordia. Ex hac definitione apparet Consonantiam ex inæqualibus & dißimilibus sonis, hoc est, ex acuto & gravi conflari, ac falsam esse Platonis sententiam,

qui

qui ex duabus gravibus pthongis eam misceri affirmavit.

Quot sunt Concordantiæ?


Pauciores recensuerunt Concordantias veteres, plures recentiores. Vltra sex enim concordantias, apud probatissimos authores vix reperiri, præter Boëtium lib: 2. cap: 6. Glareanus quoque testatur. lib: 1. c. 9. Etsi autem scriptores Musicæ omnem Harmoniam Disdiapason, hoc est, supra duplam Octavam, excedentem infructuosam judicent, quod ulteriores soni, veram Chrasin, id est, commixtionem non habeant, & difficilius aurium sensu arripiantur. Vnde nouem tantum numerarunt consonantias, tamen nostra ætate, cum in plurium vocum concentibus non raró ad vigesimam usque excursus fiat, replicatione simplicium & secundariorum Concordantiarum in triplicatas duodecim existunt.

Ex sententia veterum sex concordantiae

Ex sententia recentiorum 12

Subiice Concordantiarum numerum, earumq; latinas appellationes.

Concordantiarum sunt duodecim:	*Vnisonus, Tertia, Quinta*
	Sexta, Octaua, Decima
	Duodecima, Decima Tertia, Decima quinta.
	Decima Septima, Decima Nona, Vigesima.



Dic primam Concordantiarum diuisionem.

Concordantiarum aliæ sunt primitiuæ, quæ non ex alijs componuntur, ut, Vnisonus. Tertia. Quinta. Sexta.

Aliæ deriuatiuæ, quæ ex primitiuis, appositæ vel vna vel duabus octauis constituuntur, ut: 8ua. 10. 12. 13. 15. 17. 19. Vigesima.

Dic secundum Concordantiarum diuisionem.

Concordantiarum aliæ sunt simplices seu Primariæ: aliæ secundariæ, aliæ Triplicatæ:

Primariæ sunt, quæ ex nullis alijs componuntur, quas modo primitiuas diximus & sunt quatuor. Vnisonus. 3. 5. 6ta.

Secundariæ, quæ ex simplicibus, apposita una Octaua constituuntur, harum quoq; sunt quatuor. 8ua, 10ma, 12ma, 13tia.

Schema huius diuisionis.

Concordantiarum aliæ sunt.	*Primariæ*	*1. 3tia. 5ta. 6ta.*
	Secundariæ	*8ua. 10ma. 12ma. 13tia.*
	Triplicatæ	*15ta. 17ma. 19na. 20ma.*

Dic

Dic Tertiam Concordantiarum Diuisionem.

Concordantiarum aliæ sunt Perfectæ: aliæ Imperfectæ.

Quæ sunt Perfectæ?

Quæ certis proportionibus radicatæ, earum præsidio probabiles existunt, vel juxta Glareanum, quæ cantum tanquam vocibus labore fessis in pacatum tranquillumq; portum receptis, plerunq; claudunt. Harum sex sunt.


Duæ	*Primitiuæ*	*ut*	*Vnisonus, Quinta.*
	Secundariæ		*Octaua, Duodecima.*
	Triplicatæ		*Decima quinta, 19na.*

Quare dicuntur Perfectæ?

Quia ex primis multiplicis & superparticularis generis Proportionibus componuntur, Vnde tam perfectum edunt sonum, ut una ab eadem, absq; interuentu alicuius imperfectæ consonantiæ in progressu Harmoniæ non liceat uti.

R E G V L A.

Binæ Concordantiæ Perfectæ, eiusdem speciei, tam ascendendo quam descendendo, nunquam se rectè sequuntur, ne in minimis quidem notulis.



Sic nec triplicatæ:

Falsch

Schema Perfectarum Concordantiarum.


Primariæ	*Vnisonus.*	*Quinta.*
Secundariæ	*Octava.*	*12ma.*
Triplicatæ	*13ta.*	*19na.*

Quæ sunt Imperfectæ Concordantiæ?

Quæ ex proportionum doctrina non ita probabiles existunt. Harum plures eiusdem speciei, tam ascendendo quam descendendo se impunè consequuntur. & sunt sex:

Tertia.	*Sexta.*	*Decima.*
13tia.	*17ma.*	*20ma:*

Porro de Imperfectis speciebus sic Glareanus loquitur lib: 1. sui Dodecachordi cap: 9. Imperfectæ sunt quatuor 3tia, 6ta, 10ma, 13ma, quas nescio, an apud veteres uspiam reperias. Sunt autem ad fugam in duabus vocibus colludentibus aptissimæ, multumq; habent gratiæ, si enim perfectas per clausulam formalem tandem desinant. Ac sanè in plurium vocum contextu, imperfectarum mixtura toëdium ex iteratione perfectarum conceptum non parum levant, ac variabilem cantum reddunt. ☞



Schema Imperfectarum Concordantiarum.

Primariæ	*Tertia.*	*Sexta.*
Secundariæ	*Decima.*	*Decimatertia.*
Triplicatæ	*Decima sept:*	*Vigesima.*

DE DISCORDANTIIS.

Ex collatione Concordantiarum, de quibus hactenus dictum facili negotio de Discordantÿs judicabunt discentes. Sunt enim reliqua omnia loca seu intervalla dissonantiarum domicilia. Licet autem ex tota Musices provincia olim religatæ sint discordantiæ: tamen

men singulari artificium industria, non solùm in usum nostrum attractæ sunt: sed eò quoq; res rediјt, ut earum commixtione, suavißimæ quæq; (ut ita loquar) prodedeant phrases, formulæ seu Epitetha concentus, quæ apud Musicos formales clausulæ vocantur: non tantum, quod Cantum quasi forment, sed plærunq; claudant, ac finem imponant, de qua re infra.

Quid sunt Discordantiæ.

Sunt secundum primum apud Latinos Musicæ scriptorem, duorum sonorum asperæ collisiones, naturaliter aures offendentes. Mirabitur hic forsan lector, quæ caussa sit, cur non ex æquo omnia pariter intervalla consona sint, sed pleraq; ex his discordent, ac suo strepitu aures offendant. Etsi autem eius rei rationes reddere, ac demonstrationes in medium afferre docißimi quiq; Philosophi conantur, tamen & earum demonstrationum veritas aliundè dependet, ut ex verbo Dei ostendente, tum naturæ nostræ ante lapsum integritatem ac conformitatem cum imagine Dei, tum deplorati status nostri deformitatem, post primorum parentum transgreßionem, qua non solum corpus nostrum morti est subjectum, sed nobilior quoq; illa pars hominis substantialis, anima nimirum eiusq; operationes, ita sunt antiqui serpentis veneno infectæ, corruptæ ac depravatæ, ut, quasi conturbatis & concußis organi

Collisiones


Haec quidem aliena videntur de discordantiarum causis nam et in statu innocentiae puto discordantias easdem fuisse quae nunc sunt. Omnia enim Deus creavit in numero, pondere et mensura. Si autem concordantiae sunt iuxta numerum pondus et mensuram ut olim ita nunc, discordantias necesse fuit et est esse contra numerum, pondus et mensuram

organi fistulis, nil nisi raucedinem strepentis, sic aliquos saltem concinnos modulos natura nostra in hoc corruptionis statu edere possit, cuius damni integritas, jam tum nobis restituetur plenè, cum non ex parte Deum cognoscemus, sed cum venerit quod perfectum est, ut Paulus 1. ad Corinth: 13. loquitur, tum enim omnes discordantiæ cessabunt eruntq; voces nostræ, ut Angelorum melliti concentus, sonoræ ac dulcisonæ. Nam ut doctissimus quidam vir in Elegia de Musicæ laudibus ad me olim scripta, inquit:

Hic labor unus erit, mentis recreatio nostræ
Cum faciem celse stabimus ante Dei
Namq; ibi perpetuo, verum Dominumq; patremq;
Ore verecundo, Musica nostra canet.

Quot sunt Discordantiæ?

Novem. 2da: 4. 7. 9. 11. 14. 16. 18. 21ma.



1. 4. 7. 9. 11. 14. 16. 18. 21.

Diuiduntorq; eodem modo, ut concordantiæ.
Sunt enim.

Discordantiarum alia { *Primitiuæ ut 2. 4. 7ma.* / *Derivativæ quæ apposita vel una vel duabus octauis constituuntur, ut*

9. 11. 14. 16. 18. 21ma.

Deinde

Deinde discordantiarum aliæ sunt.

- *Simplices seu primariæ, ut: 2. 4. 7ma.*
- *Secundariæ quæ diapason ad simplices assumunt ut 9. 11. 14ma.*
- *Triplicatæ quæ Disdiapason ad simplices addunt ut 16. 18. 21ma.*



Dic tertiam Discordantiarum diuisionem.

Aliæ sunt absolutæ Discordantiæ, quæ nulla prorsus ratione in usum Musicam veniunt, ut cum Brevis notæ aut major ipsa in duarum vocum Concentu in 2. 4. 7. aut alijs Discordantiarum locis, simili majori notæ opposita reperiatur:



Aliæ sunt respectivæ Discordantiæ, quæ etsi natura quoq; pariunt dissonantiam, mira tamen artificum industria consonantijs admixtæ, præcipuum clausularum.

rum formationi, & Syncopationibus usum conferunt, ut paulo post in Concordantiarum, Discordantiarumq; regulis, & in capite de clausulis formalibus ostendetur.

CAPUT TERTIUM

De Concordantiarum Successionibus, & alijs cognatis quæstionibus.

Hactenus materiales Harmoniæ partes tractauimus, Concordantias. Nunc formam & modum connectendi easdem ostendemus.

In quarum notarum Compositione debent se exercere discentes?

SIcut neglecta prima contrapuncti specie, infrugiferè in reliquis desudant tyrones: Sic uti statim ad minores notulas contexendas animum adjecerint, majori labore, fructu vero minori finem consequentur. hoc est, melos efficient. Debent itaq; in mediocrium notarum puta Brevium Semibrevium & minimarum, nec non nisi in duabus, tribus, & quatuor vocum compositione incipientes primum exerceri. Non enim ex notarum celeritate ac

volubili vocum discapodinatione, sed ex grandioribus notis artificiosè aptatis, majestas ac suavitas Harmoniæ communiter, censetur.

Quæ concordantiæ seu intervalla inter componendum sunt eligenda?

Semper Viciniores, præsertim si cantus 4. solummodo erit Vocum, Concordantiæ, quantum fieri potest, eligantur, & perfectis imperfectæ species misceantur. Quanto enim viciniores sunt soni, tanto suauiores existunt. Sicut econtra, nimia eorum distantia, difficilius aurium sensu percipitur ac dijudicatur: ideo prisca observatio pauciores concordantias statuit, & Pythagorici intra Disdiapason omnem harmoniam concluserunt. Sunt autem Viciniores concordantiæ. 1. *3. 5. 6. 8.* 10ma.

Quis est perfectarum Concordantiarum positus?

Duæ aut plures concordantiæ perfectæ, eiusdem speciei se sequi nunquam ne in minimis quidem notulis conceduntur. Hæc enim regula omnes notarum species æquè obligat, ut contra eam nunquam sit committendum.

Dic huius regulæ primam exceptionem.

In diversis saltibus, mutuus successus, perfectarum Concordantiarum permittitur hoc est, cum una voce ascendente, altera simili specie perfecta descendit:


Dic



Dic alteram.

Sic cum vnius vocis perfectam speciem, vox altera simili specie excipit, ea enim successio non viciosa reputatur.





Quis est usus Tertiarum?

Harum plures per arsin & thesin, se rite sequuntur, ita tamen ut Discantus & Altus post ultimam Tertiam, in Sextam aut Octavam, Tenor vero & Basis post ultimam in quintam aut octavam prosiliant, aut discordantiarum commixtione in clausulam abeant: Nota: hæc in 2. verbis observari possunt: in pluribus regula hæc arbitraria est.

Dic Usum Sextarum.

Plures Sextæ gradatim descendentes in Discantu & Tenore, nonnunquam etiam in Basi & Tenore, se suaviter consequuntur, modo ultimam sequatur perfecta concordantia: ast in ascensu multitudo sextarum & ingrata, ac quodammodo viciosa reputatur.

Quis est usus Decimarum?

Valdè ornat Harmoniam cum Discantus & Basis in multis Decimis procedunt. Tenore interim, aut alia media voce per secundas ascendente vel descendente.



Quomo-

Quomodo MI & FA Voces opponuntur?

Mi & fa in Vnisono. quarta, quinta, octava, cæterisq; perfectis speciebus nunquam opponi debent. Dici enim non potest quantopere aures offendat mollium ac durarum Vocum contrapositio.

NB. Mi contra Fa ist der Teuffel in der Musica.



1. 4. 5. 8.

Quis est usus reliquarum Concordantiarum?

Ulteriores Concordantiæ, quas superius Secundarias & Triplicatas diximus, tam perfectæ quàm imperfectæ, primarum naturam & qualitatem sequuntur.

Quomodo constituendum est Initium Harmoniæ?

Plurimum momenti habet, laudabile Harmoniæ Exordium, perfectis constans concordantijs, quæ propius feriunt audientium animos, quàm imperfectæ. Est autem hæc Regula non legalis, sed arbitraria. Nam fugarum exordia, ut plurimùm ex imperfectis speciebus contexuntur, &c.

Quomodo ſunt fugarum initia formanda?

Nobiliores & præſtantiores fugæ, ex ſpeciebus Diapente, & Diateſſaron procreantur: Sunt autem Diapente ſpecies quatuor Rela, Mi, mi, Fa fa. Vt Sol. Species vero Diateſſaron tres ſunt, ſcil. Vt fa, Re ſol, Mi La, &c.

Dic regulam de fine Cantus.

Quia Nauſeam parit Harmonia, cuius finis ab Exordio alienus eſt, ideo in perfectis Concordantijs omnem Cantum claudunt boni Symphonetæ. Secus tamen accidere ſolet, cum alteram adhuc Cantilenæ partem expectamus.

CAPVT QVARTVM.

De Diſcordantiarum uſu ſeu collocatione.

ETſi ipſa appellatio oſtendit, nihil æquè melos Harmonicum turbare, quam Diſcordantia intervalla, ſolerti tamen Muſicorum induſtria effectum eſt, vt non ſolum immiſceatur Harmoniæ, verùm etiam conſtituendis componendisq́; clau-


ſulis

ſulis ſint neceſſaria. Proinde & Reſpectivarum Diſcordantiarum uſu, pauca hoc loco aſcribemus. Quoniam quæ abſolutè ſeu toto genere diſſonæ ſunt, in noſtrũ uſum non cadunt.

Dic Regulam de Secunda, & quæ inde componuntur, Nona & Decima ſexta.

Hæ diſcordantiæ rectiſsimè alteri Voci junguntur, Primum in Syncopatione, ac idquidem in notis minoribus, puta Minimis ac Semiminimis.

Deinde in fugarum ex eodem loco aſſurgentium & deſcendentium exordijs.



Dic re-

Dic regulam de Quarta & quæ inde formantur Vndecima & Decima Octaua.

Quarta in duarum Vocum contextu, non nisi in syncopatione seu clausularum formatione admittitur. In trium vero vel quatuor vocum Harmonijs necesse est semper substratum habeat vel Ditonum h. e. tertiam, vel Diapente h. e. Quintam, ut Glareanus quoq; testatur lib. sui Dodecachord: 1. cap. 9. Porro talem Quartæ positum Itali & Galli vocant Foulx Bourdon q. dicas falsum sonum. Foulx enim Bourdon vero præterquam infimam cuiuscunq; Instrumenti sonum significat etiam Vesparum strepitus, & confusum earum sonum notat.



mundi dedala machina

Dic Regulam de septima, & quæ inde formantur Decimaquarta, & 21 ma.

Vt reliquæ Discordantiæ absolutè positæ dissonantiam pariunt, ita septima quoq; cum suis filiabus in Brevi nota nunquam opponitur. In semibrevi vero locatur ra-

tur rarius, & id quidem cum clausula formam Harmoniæ habet. In minima vero notula sæpißimè jungitur, præsertim in syncopationibus nam tunc clausulam format, ut latius dicetur infrà in capite de formatione clausularum. Hæc de Discordantijs quoq; Primarijs, Secundarijs & Triplicatis, numero dixisse (ut Plautino illo vtar) sufficiant. Cætera usus & improba diligentia, ac probatorum artificum exempla suppeditabunt. Nam supervacanea est omnis præceptio, quam non discentis industria fuerit secuta, ut inquit Rudolphus &c.

numero dixisse

CAPVT QVINTVM de sono & Vocibus.

Quid est Sonus?

Sonus subjectum totius artis Musicæ, secundum Aristoxenum lib: 1. Vocis casus in unam tensionem, vel secundum Franchinum lib: 1. Instrumentalis Musicæ cap: 2. Sonus est concinnus Vocis casus ad unam extensionem, hoc est, Vox discreta cantui idonea. Porro tensio dicitur mora, vel quidam

modus, vel status vocis id est, dicitur talis vox, quæ neq; in acutum neq; in gravem tendit, Ein klang der gerade außgehet / wie ein Orgelpfeiffe: *Soni vocantur apud Musicos Tensiones, vel Extensiones.*

Quotuplex est sonus seu extensio?

Extensionum alia continua dicitur, quæ latentes intensiones non dubia celeritate habet. Hanc Bacchæus pedestrem vocavit, pertinetq; propriè continuus sonus ad legentes colloquentesq;, vt Aristoxenus quoq; inquit. Alia discreta appellatur, quæ intensiones manifestas, sed intensionum latentes habet dimensiones. Hanc Aristoxenes intervallatam dixit, Franchinus Avisotonum, estq; Musicæ proprius.

Quomodo Extensio seu Discretus sonus dividitur?

In Intensionem & Remissionem.

Intensio est Vocis motus ex graviori loco in acutiorem, vt cum Chorda intenditur, aut vox humana ex a. b. c. d. e. f. g. assurgit.

Remissio vero dicitur Vocis motus ex acutiori loco in graviorem ut cum Chordam remittimus, aut vocem per claves e d c b a deprimimus.

Dic aliam sonorum Divisionem.

Sonorum alij Isotoni sunt: Alij Anisotoni.

Isotoni

Isotoni dicuntur, qui incommutabilem habent extensionem, quos modo continuos diximus. Isotoni, quoniam per omnia sunt indifferentes, hoc est, non enormes habeant intensionum dimensiones, honorem nullibi sunt sortiti, vt Franchinus inquit.

Anisotoni vero sunt, qui commutabilem habent extensionem, quales paulò antè discretæ Extensionis appellatione comprehendimus. Porro hi soni Musico negocio idonei sunt, ideo in Acutos, Medios & Graves subdividuntur.

Quid est Gravis Sonus?

Est φθόγγος omnium tardißimus craßißimus ac profundißimus Basi conveniens, ideoq; gravißima Tetrachorda in Guidonis scala comprehendens, eius claues sunt. G. A B C D E F g:

Quid est Medius?

Quem motus tardior procreat, seu qui mediam servat rationem inter acutum & gravem sonum. Huic aßcribuntur in Guidonis scala, media Tetrachorda, quæ vocantur coniunctarum & disjunctarum scil. Clavium: huic sono competunt Claves a b c d e f g.

Quid est acutus?

Acutus qui acumina & summa loca petit. Hic citius humanas aures vellicat, quàm reliqui. Nam

 ut mu-

ut mucro fastigiatus in momento penetrat, qui vero hebetior est ac obtusior, non ita cito sed segniter & cum aliqua mora: ita acutiores soni puellarum seu puerorum vocibus apti celerrimè aurium sensum afficiunt, eoq; dijudicantur. Huic supremas sive Excellentes claves in Guidonis scala tribuimus, quales sunt aa. bb. cc. dd. ee: & quæ hodie frequenter à symphonetis adijciuntur ff: gg: aaa.

De Vocibus.

Ex hac postrema Anisotonorum sonorum differentia apparet alios cum alijs coire, idemq; sonare, ut cum gravis cum medio per Diapason misceatur: alias vero consonam edere vocem ut si Gravem & medium sonum per Diapason Diapente jungas alios tandem naturaliter aures delectare, ut si gravis & Medius per Diapason & Ditonum aut Semi Ditonum copulentur.

Quid hic nominas Vocem?

Voces hoc loco nihil sunt aliud, quàm certæ Intervallorum seu sonorum distantiæ, aures suaviter afficientes.

In quotuplici sunt differentia?

In Triplici. Aliæ enim Æquisonæ sunt, aliæ Consonæ, & aliæ ἐμμελεῖς.

Quæ

Quæ voces dicuntur æquisonæ?

Quæ coustant ex simplicißimis proportionibus, & sonum ex duobus unum eundemq; efficiunt. Vel ut Ptolemæus lib. Harmonicorum 1. cap: 4. inquit. Soni æquitoni sunt, cum quod ad contentionem attinet, nihil discrepant, tales voces sunt Vnisonus ortus ex simpla proportione, Diapason ex Dupla, & DisDiapason ex Quadrupla.

Quæ dicuntur Consonæ?

Quæ ex acumine & gravitate differentem ac perfectum edunt sonum. Hæ Ptolemæo Symphonæ id est consonæ seu Convocales appellantur, tales sunt Diapente 5. Diapason Diapente 12. & Disdiapason diapente 19. &c.

Quæ vocantur ἔμμελες?

Quæ sua simplicitate proximè ad Consonas accedentes, sonum edunt natura potius, quàm certa ratione auribus convenientem. Tales voces sunt omnes Imperfectarum consonantiarum species, ut Tertia, 6. 10. 13. 17. 20. ἔμμελες dicuntur quasi dicas ἐμμελῆς id est, bonæ consonantiæ, vel ἔμμέλες id est, canorem vel concinnum ut Ptolemæus inquit.

CAPVT SEXTVM.

De Praxi seu modo jungendi plures Voces.

VT ligna ad amußim jungit bonus Architectus, & juncturas hinc inde perpēdit prius, quam ædificij compagem extruit: Sic nos hactenus fundamenta jecimus, & materialia tantum Harmoniæ tractavimus, doctrinam nimirum Concordantiarum & Discordantiarum, ex quibus omne melos constituitur. Nunc vero formalia nostri ædificij tractaturi, porro ostendemus, quomodo plurium vocum concentus enascatur, & concordantiæ invicem evalescant, & numeris absolutum melos prodeat. Fuerunt autem ista prius præmittenda, ut quomodo in hoc studio progrediendum esset discentes intelligerent. Porro etsi non ignoro, multiplici artifices componendi via uti (non rarò enim ad Tenoris & Basis constitutionem reliquas voces superaddunt, sæpè etiam Basi & Discantui primas tribuunt) nos tamen incipientibus gratificaturi, tritam solummodo ingrediamur, qua ad Tenoris & Discantus compositionem Basis & Alta vox subijciuntur. Hac enim componendi ratione benè feliciterq; incœpta, nullo negocio, usus exercitatioq; cætera suppeditabunt.

Si Tenor & Discantus Vnisonum sonuerint, quomodo addendæ sunt reliquæ voces?

Tunc Basis infraposita in		requirit Altum in
	3.	3. *supra.*
	5.	4. *supra, vel in 3tiæ. infra.*
	8.	3. 5. *supra* 4. 6. *infra.*
	10.	5. 4. *supra* 3. 6. 8. *infra.*
	12.	3. 5. 8. 10. *infra.*



Hoc

Hoc Exemplo bene considerato, facilè si Tyroni placuerit, ad subsequentes reliquas concordantias, ipsemet formare poterit, nos cætera prosequemur.

Quomodo ad Tertiam Discantus & Tenoris adiiciendæ sunt reliquæ Voces?

Tunc Basis infra posita in — *postulat Altũ in*

Basis infra posita in	Altum
3.	6 supra, aut cum alijs in Vnisono.
6.	5 supra. 4. infra.
8.	5 supra. 4. 6. infra.
10.	3 6. 8. infra.
15	4 6. 8. infra.

Quod si Tenor & Discantns quartam habeant?

Tunc Altus in Tertia, & Basis in quinta infra concordabunt.


Quomodo ad Quintam Tenoris & Discantus addendæ sunt reliquæ Voces?

Tunc Basis infra posita in — *requirit Altũ in*

Basis infra posita in	Altum
6	3 Supra. 4. infra.
8	3 Supra. 4. 6. infra.

Nota: Altus infra Tenoris notulas locatus, ut plurimum Tenoris formam assumit, & clausulis inservit, Media Voce, interim Altæ vocis naturam obtinente.

Quomo-



Quomodo ordinandæ sunt reliquæ, Si Tenor & Discantus Sextam conuenerint?

Tunc Basis infra Tenorem posita in	*3.*	*ordinat Altum in.*	*3. vel 4. supra.*
	5.		*4. supra. 3. infra.*
	8.		*3. supra nisi mi contra fa obstet.*
	10.		*3. supra. 3. b. 8. infra.*

Si Tenor & Discantus octauam habuerint, quomodo addendæ sunt reliquæ Voces?

Tunc Basis infra posita in.	*3.*	*postulat Altũ in*	*3.*	*vel*	*6. Supra.*
	5.		*4.*		*6. Supra.*
	8.		*3.*		*5. Supra.*
	10.		*3.*		*6. supra. vel 3. infra.*

Quomodo Ordinandæ ſunt reliquæ voces ſi Decimam Tenor & Diſcantus habuerint?

Tunc Baſis	*3.*	*requirit*	*3. 6. 8. ſupra.*
infrapoſi-	*8.*	*Altum*	*4. 6. infra 3. 5. 8. ſupra.*
ta in	*10.*	*in.*	*3. 6. ſupra. 3. infra.*

Hæc de ſimplici ac uſitata componendi ratione breviter dixiſſe ſufficiant. Porro diſcentes, ubiq; inter componendum hos conſonantiarum poſitus ſibi ob oculos ponant, neq; quicquam confidentius agant, inprimis etiam Fa & Mi voces in ſingulis tactibus diligenter examinent, donec uſu confirmati, proprijs volare alis liceat.

CAPVT SEPTIMVM.

De regulis quibuſdam generalibus, ac de appellationibus. 4. Vocum, earumq; Proprietatibus, & Figuris Muſicis.

Dic Præceptum de magnis Diſtantiis Tenoris & Diſcantus?

Cum Tenor & Diſcantus in magnis intervallis diſtant, puta in 12. 13. 15. tum Baſis aſſumens naturam Tenoris, mutuatur concordantias ſupra Tenorem.

Dic



Dic aliud Præceptum?

Sciant incipientes aliud artifici, qui pro sua industria, admissa vitia optimè occultare scit, licitum esse, aliud vero Tyroni, ideoq; non temerè quidvis imitentur. Vt enim præstantibus & excellentibus solummodo Poëtis, non modo in metro Crebriores Cæsuræ, sed in ipso sermonis contextu Rhetorica quædam vitia non raro donantur: Sic probatis artificibus Musici Barbarismi ac Solæcismi non rarò vitio non vertuntur. Sed sæpè numero laudem merentur: eò quod latentes dissonantias callidè corrigere, aut vitia per fugas artificiosè excusare sciant.

Musici barbarismi et Solaecismi.

Dic aliud Præceptum?

Plures quam quatuor voces compositurus Octavarum loca observet, quoniam earum perpetuo eadem est ratio. Consultius tamen esse judico, ut incipientes intra

Trium vel quatuor vocum carceres se se contineant. Vt enim non ex librorum copia, à prudentibus eruditionis culmen judicatur: sic non ex vocum multitudine, sed ex paucioribus ut puta. 3. vel 4. Vocibus artificiosè junctis ac variatis & authoris ingenium, & Harmoniæ Majestas ac gravitas deprehenditur. Porro hoc præceptum non ad artifices, sed ad Tyrones spectat.

De appellationibus quatuor Vocum?

Etsi nostra ætate pauci Symphonetæ tribus aut ad summum quatuor Vocibus contenti sunt, sed plærique ex Vocum multitudine majestatem Harmoniæ pensitantes, ac vulgi applausum captantes plurium Vocum strepitus sæpius ineptißimè concinnunt, tamen Concordantiarum ratio ostendit, trium Vocum concentus tantum esse, & geminos ac distinctos edere sonos, reliquos vero omnes in Octávis, cum prioribus concordare, idemque sonare. Quare omißis alijs de 4. Vocum nominibus, earumque proprietatibus breviter monebimus.

Quæ est prima Vox?

Prima Vox communi Vocabulo Cantus dicitur, idque κατ᾽ ἐξοχὴν sicut vulgus eodem respectu Discantum, quasi dicas Biscantum ab excellentia soni nominat. Multis etiam vox suprema: item superius nuncupatur: Est autem Discantus cujuslibet Harmoniæ vox altißima, puerili aut puellari voci accommodata.

Qui-

Quibus gaudet Intervallis?

Gaudet Intervallis mediocribus, puta, tertijs, Quintis, Sextis & abhorret, à grandioribus, ut crebrioribus Octavis, ac Decimis præsertim in descensu: ac semper Tenorem, quem ceu principem veneratur, cum in concordantiarum, tum in fugarum clausularumq; ratione respicit. Hæc quoq; vox in coloraturas (vt vocant) frequens abit.

Quæ est altera Vox.

Secunda vox ab altitudine, qua proximè ad Discantum accedit, Altus dicitur, respectu vero Tenoris Contratenor, & respectu Basis Vox acuta vel alta nominatur. Perpetuo enim hæc vox Baritonantem, ut Dominum observat ac ceu Ducem sequitur. Est vulgare huic voci non rarò proprijs sedibus excuti & exulare, multoties etiam propter Tritonum & semi Diapente evitationem, pausis locum concedere ac instar canis obmutescere. Econtra vero vili accepta occasione cristas tollit hæc vox, ac instar Discantus clausularum formationem sibi arrogat, canenda est hæc Vox moderata contentione.

Quæ est Tertia Vox?

Tenor qui est (ut Johannes Tinctor refert) cujuslibet Harmoniæ Vox media, vnde sæpius hoc ipso nomine appellatur. Dicitur Tenor à tenendo, non so-

lum, quia elegantiores Consonantias cum Discantu habet, verum etiam quia totius Harmoniæ ambitum, seu limites tenet, extra quos infra supraq́ erumpere non permittit. Ideo Glareanus lib: Dodecachordi 3. cap: 13. pulchrè dixit. Thenor velut thematis filum, & primum vocum inventum, quem ferè aliæ respiciunt voces, & ad cuius nutum formantur, à tenendo dictus videtur. Thema heist bey den *Musicis*, wann jhm einer fürnimpt / wie der Gesang soll klingen.

Quomodo est instituendus Tenor?

Tenor ad certi alicuius modi, præscriptum est formandus, ita ut Divisiones vel Arithmetica, vel Harmonica, expressè aurium sensu percipiatur, & repercussiones in mediationum locis contingentes, subinde resultent. Debet quoq́ moveri hæc vox, hoc est, intendi & remitti, ne proverbij notam incurrat, Vnus & idem Tenor, In elevatione minora cum Discantu intervalla diligit, in depressione paulo majora, ut infra in capite de Modis Musicis patebit.

Quæ est Quarta Vox?

BASIS, quæ est cujuscunq́ harmoniæ vox infima, & fundamentum seu sustentaculum omnium reliquarum vocum. Dicitur Basis quod in eum tanquam in fulcimentum omnes inclinent voces, vbi enim in concentu

eventu ea vox minus firma fuerit, ibi reliquæ voces omnes evanidæ apparent, ut inquit Glareanus, nec ullam majestatem habere possunt. Nomen Bassus à Basi, temere, in usum venisse existimant eruditi. Vocatur etiam vox Gravis, non solum à profunditate, sed potius gravitate, hoc est, claritate seu præstantia quam confert Tenori, cum quo nunquam discordat, nisi fortè in syncopationibus, per minores notulas contingat. Nominatur etiam βαρυtonans, à Græco βαρύ quod est grave.

De figuris Musicis.

Sicut Pictor eodem habitu ac statu, eodemq; colore pingens quascunq; imagines tantam non meretur laudem, ac si singulis singulos gestus, peculiarem vultum, ac distinctos colores, quibus spectantium oculi pascuntur, tribuat. Sic Harmonia Musica, sui perpetuo similis, nec ullis ornata floribus, non modo indoctior habetur, sed etiam tædium auditoribus incutit. Vt vero ècontra Rhetorum orationes verborum sententiarumq; luminibus ornatæ, ac figuris ac Tropis variatæ (in his enim omnis latini sermonis delicias sitas esse, nemo est, vel mediocriter eruditorum, qui nesciat) gratiosæ sunt ac auditoribus arrident. Sic contentus elegantiam, non parum Musica Schemata ornant atq; juvant. Quare pauca de his quoq; annotabimus.

Quot

Quot sunt figuræ seu Schemata Musica?

Etsi ad Rhetorum imitationem non difficile erat ingentem figurarum Cathalogum coacervare, nos tamen brevitatis studio de septem sequentibus tantum agemus, ex quarum collatione, de alijs Harmoniæ ornamentis facile judicabunt discentes. Porro harum figurarum aliæ Principales sunt, ut Commissura, Fuga, Repetitio: Aliæ minus principales, ut Climax, Complexio, Homioteleuton, Syncopatio.


De Commissuris.

Quid est Commissura?

Commissuram vocant Musici, cum dissonantia aliqua propter præcedentem & sequentem consonantiam excusatur. Estq; duplex: Directa & Cadens.

Quid est Commissura Directa?


Quando cum depreßione tactus dissonantia, aurium quidem sensu percepta, propter sequentem concordantiam, tamen admittitur, qualiter in omnibus formalibus clausulis & syncopationibus fieri solet.





Quid est Commissura Cadens?

Cum prior pars tactus consona est, posterior vero dissonat, qui positus propter sequentem consonantiam tamen admittitur, ac contingit plærunque in gradationibus. Hujus generis Commissuræ extra omnem clausularum & syncopationis rationem contingunt, & fugis sæpè sunt aptissimæ. Exempla sunt in Præter rerum seriem Iosquini. In Clementis Ierusalem surge. Huc me sydereo Josquin: Tristis est anima mea Orlandi: à 5. Adesto dolori Jaches VVerth: Nudus egressus sum. Nucij &c. Porro quia harum Commissurarum usus, paulo majoris est negocij ideoque incipientes circa eas cautius versentur.



DE FVGIS.

Quid ſunt Fugæ?

Fugæ nihil ſunt aliud, quàm ejuſdem thematis per diſtinctos locos crebræ reſultationes Pauſarum interventu ſibi ſuccedentes. Dictæ ſunt autem à fugando, quia vox vocem fugat, idem melos depromendo. Porro hæc figura apud Muſicos in tanto eſt precio, ut non pro artificioſa Cantione eà habeatur, quæ non laboratiſſimis abundat & referta eſt fugis. Atq; ſanè ex hac

ex hac figura omnium maximè Musicum ingenium æstimandum est, si pro certa Modorum natura aptas fugas eruere atq; erutas bona cohærentia ritè jungere sciat. Quare omnino elaborandum est, ut Harmonia elegantibus fugis constet, quod si difficilius per omnes voces videbitur, quoniam magis exercitatorum est illud, in tribus tamen vel duabus vocibus Tyroni periculum est faciendum.

Quotuplices sunt Fugæ?

Totales: & Partiales.

Quid sunt Totales fugæ?

Cum duæ aut plures voces, ex eodem themate procedentes, juxta certi alicujus Canonis inscriptionem usq; ad finem Harmoniæ concinnunt. Tales Canones sunt Fugæ in Unisono, Fuga in Epi vel Hypodiatessaron, fuga in ἐπὶ *vel* ὑποδιαπέντε, *fugæ in* ἐπὶ *vel* ὑποδιαπασῶν. *Exemplum, Homo natus à 6. Nucij.*

Quid sunt fugæ Partiales?

Hæ partes tantum sunt totalium, ideo & fractæ fugæ appellantur, ut cum ejusdem thematis resultatio in omnibus vocibus tandem in perfectam consonantiã aut formalem clausulam abit. Harum in omnibus Cantionibus, quas Motetas vocant, uberrimus est usus.

Quomodo sunt formandæ fugæ?

Fugæ ortũ ducũt ex his sequentib. intervallis, Uni-

ſono, Tertia, Quarta, Quinta, Sexta, Octava: ex quibus tamen quædam ſelectiora ſunt, ac formationibus fugarum aptiora, vt Vniſonus, Quarta, Quinta, Octava. Imbecilliores enim ac rariores fugæ ex Tertia & Sexta prodeunt.

Porro hoc totum negocium pulchra brevitate his verſiculis complexus eſt VVenceslaus Philomates.

Quæ tibi principio fuerit vox ponere viſa
Procedat fugiens, illamq; fugando ſequatur
Altera cum ſimili modulamine, quod Diapaſon
Vniſonusq; creant, Diateſſaron aut Diapente
Indiget ingenio, qui ſubtilesq; bonasq;
Vult fabricare fugas, nam nil præſtantius illis.

Quid eſt Repetitio?

Cum in Contrapuncto florido ſeu fracto, thema in una aliqua voce perpetuo iteratur, quantumuis mutatis locis. Exempla huius Schematis ſunt in Miſſa ſuper La Sol fa re mi. In Miſerere mei Deus. In Fremuit Spiritus. Vana ſalus Hominis. Joan: Nucij &c.

Quid eſt Climax?

Cum per Arſin & Theſin, binæ voces ſimiliter gradiuntur, ut cum Diſcantus & Baſis in multis Decimis, aut Baſis & Tenor in pluribus tertijs procedunt. Hujus figuræ uſus circa finem Harmoniæ potiſſimum ſpectatur, ubi auditorem avidè finem expectantem, adhuc

detinere

detinere studemus. Exempla gradationis sunt, in Cum Sancto spiritu. Item in venit vox de cœlo Clementis, in Maria Magdalena alleluja & similibus.

Quid est Complexio?

Cum Harmoniæ initium in fine repetitur, ad imitationem Poëtarum qui sæpè uno eodemq; vocabulo versum incipiunt & claudunt: ut Egl: 7. Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Huius Schematis multa sunt Exempla Musica, ut in Alleluja surrexit pastor bonus. Item in Noë Noë & iterum Noë: Vitam quæ faciunt Jacobi Vaët. Domine Dominus noster Orlandi: & Domine Dominus noster: Nucij &c. aliorumq; penè infinitorum.

Quid est Homioteleuton?

Cum post communem vocum concursum Semibrevis aut minimæ Pausæ interventu generale silentium indicitur ac Harmonia interrumpitur. Hac figura Itali & Galli in Choreis, Galiardis, Madrigalis, Passamezis & similibus crebrò utuntur. Recentiores quoq; in Dialogis, & interrogationibus: Vide nostrum Quò celeras: aliorumq; hoc Schema usurpant: Veteres quasi attentionem excitaturi in motetis hanc figuram adhibuerunt: Exempla hujus Schematis adjicere supervacaneum duximus.

Quid est Syncopatio?

Cum contra tactum plures Semibreves notæ diu-

tius protractæ, tandem in clausulam abeunt, ac usurpatur creberrimè in Discantu, in cæteris non ita frequenter: figura omnibus notißima, ideo exemplo non indiget.

Huc quoq; Manubrium pertinet, quod est cum in fine Harmoniæ duæ aut plures voces caudā adijciunt. Huius compositionis usus & imitatio, cum ferè in omnibus Motetis sit hodie frequentißimus, docebunt.

Huc inferenda sunt alia Harmoniæ quoq; decora, ut sunt primum verba affectuum, Lætari, Gaudere, lacrymari, timere, ejulare, flere, lugere, irasci, ridere, Misereri, &: quæ ipso sono & notarum varietate sunt exprimenda & pingenda.

Secundo, verba motus & locorum, ut sunt stare, currere, saltare, quiescere, salire, extollere, deijcere, ascendere, descendere, Cœlum, Abissus, montes profundum, altum & similia &c.

Tertio, Adverbia temporis, Numeri, ut Celeriter, Velociter, Cito Tarde, manè serò, bis, semel, ter, quater.

Item quæ numerum indefinitum significant, ut rursus, iterum, sæpè, raro.

Huc referuntur etiam hæc vocabula, lux, dies, nox, tenebræ quæ vel notarum repletione vel albedine aptè exprimi possunt. Monendus etiam hic est Tyro, ne Syllabarum quantitates vel planè negligat, vel temerè corrumpat: sed ijs syllabis quæ producendæ veni-

unt,

unt, notulas tardiores, quæ vero corripiendæ breviores applicet. Quàm ineptum enim sit si posuerit  *amare pro*  *amare,*  *legere pro*  *legere, expositione nostra non indiget, facile enim hæc vitia inter componendum si mediocrem adhibuerit diligentiam poterit cavere.*

Hic quoq; de Applicatione textus, cum cantus potissimum propter verba instituatur, aliquid fortè dicendum erat. Nam veteres sine discrimine certisq; regulis sæpè textum notulis subjecisse, manifestius est, quàm quod nostra demonstratione opus habeat. Sed quoniam in nostris præceptionibus, etiam peculiares de hac re regulas composuimus, quas volente Deo *brevi emissuri sumus, hic nihil præcipiemus saltem tyronem, ut relicta veterum simplicitate, ad Neotericorum compositiones diligenter inspiciendas, & imitandas, se convertat, hortamur. Nunc de clausulis formalibus dicendum quod restat.*

CAPUT OCTAVUM.

De Clausulis formalibus, & Commutatione vocum inter se.

EX tribus potissimum Melos Harmonicum constare arbitror. 1. Ex fugis artificiosè inventis. 2. Ex concinnis consonantiarum mixturis. 3. Ex formalibus clausulis. Jejuna enim non modo, sed & inepta ac ridicula erit melodia, ac à vulgi clamoribus parum differt his destituta rebus. Quare, sicut hactenus de concordantiarum legibus, de fugarum exortu, alijsque necessarijs ornamentis breviter monuimus. Sic nunc ordo postulat, de formalibus clausulis, ut quædam dicamus. Hæ enim cantum formant, hoc est, ornant ac mellitum reddunt. Ac sicut Phrasium elegantiæ ac metrica Epitheta singulis oratoribus ac Poëtis communia sunt: sic formales clausulæ tam ad incipientes, quam ad artifices spectant, communemque singulis præstant usum, nisi quod exercitati earum varietatem exprimere rectius, quam tyrones possunt.

Quid est clausula formalis?

Est vocum diversarum in Concordantijs per Dissonantiæ Commissuram suavis & usitata conjunctio. Dictæ au-

ctæ autem ſunt formales à formando ſeu à forma, hoc eſt, ab ipſo eſſe quod Harmoniæ conferunt. Formant enim & quaſi viuum colorem cantui addunt.

Licet ne ex Puris clauſulis harmoniam conficere?


Vt oratio nil niſi figuras & ſchemata referens odioſa eſt, & ſicut cibus ſupra modum conditus corrumpitur: Sic cantus ex meris clauſulis compoſitus, aut circa unam eandemq; perpetuò oberrans chordam, delicatis auribus ingratior eſt: Tædium enim incutit ac coccismum refert. Quare formales clauſulas modeſtè, hoc eſt, parce, & quidem in veris Modorum combinationibus, hoc eſt, Quintarum & Quartarum terminis Harmoniæ ſuæ incipientes inſerent.

Quomodo formatur Clauſula?

In omni Clauſula tres notæ conſiderandæ veniunt. Vltima, Penultima, & Antepenultima.

Dic regulam de ultima.

Diſcantus in clauſula, reſpectu ſuæ penultimæ, ſemper habebit ultimam notulam ſurſum. Tenor ultimam reſpectu ſuæ penultimæ deorſum, Baſis ultimam clauſulæ Notã, aut ad Octavã infra Tenorẽ detrudet, 1. aut cum eodem Tenore in Tertia infra ultimam Tenoris concordabit, 2. aut deniq; Vniſonum ſonabit, 3. Alti notula arbitraria eſt, nam juxta Baſis conſtitutionem locatur.



Dic Regulam de penultima?

Penultima Diſcantus notula in clauſularũ formationibus, neceſſario ſextam cum Tenore habet. Baſis vero quintam infra, & Altus quartam ſupra Tenorem occupat, niſi ſit clauſula in MI, vide præcedens exemplum:

Dic Regulam de Antepenultima.

Prior antepenultimæ pars in Diſcantu conſona quidem eſt, poſterior vero in ſeptima cum Diſcantu jungitur. Nam in Syncopationibus clauſulæ contingant. Baſis vero in quinta infra, & Altus in quarta ſupra locatur: niſi fortè clauſula in MI, aliam Baſis diſpoſitionem requirat, ut modo dicemus. Baſis quoq; in Quinta infra Tenorem, ſub antepenultima in ſextam interdum reſolvitur, hoc modo.


Quo-



Quomodo formatur clausula in MI.

Vt vocum MI & FA in omni negocio Musico peculiaris est ratio, sic in clausula singularem sibi formationem vendicat. Etsi enim in Tenore & Discantu, Vltimæ, Penultimæ & Antepenultimæ eadem jungendi ratio servatur, Basis tamen vltima non ad octavã ut in cæteris contingit: sed ad quintam descendit, interdum etiam ad tertiam infra Tenoris ultimam ponitur, atq; hinc Altus quoq; clausulæ formam assumit: alioquin vox alta ad Basis constitutionem ordinatur. Penultima vero & antepenultima notula Basis, non in quinta infra Tenorem, sed in tertia locatur: & altus in tertia supra eundem commodum sibi locum arrogat. Porro ut non tantum clausularum formationem rectius deprehendant incipientes, verum etiam quod nonnunquam rectè sequantur, aliquot formales clausulas, hujus artis cupidi, ex probatorum artificum cantilenis sibi comportabunt, inq; suos usus reservabunt.

Clauſula in MI.



De Commutationibus Vocum inter ſe.

Vt agiliora ac vegetiora ſunt totius corporis membra in juvenibus laſsiora vero ac tardiora in adultis, ſic inter Voces Muſicorum concentuum aliæ alijs alacriores & aptiores ſunt formationibus clauſularum. Porro licet ſuprema vox, cum propter ſoni excellentiam


tiam, tum propter reliquarum vocum proprietatem, huic negotio aptiſsima & convenientiſsima ſit, tamen non raro Altus & Tenor, Diſcantus naturam aſſumentes, & clauſulas formant, & Baſin alium habitum induere cogunt, de qua vocum permutatione, ut aliquid tantum moneamus, res ipſa poſtulat: quoniam infinita illa varietas rectius exemplis & imitatione, quam præceptis deprehenditur.

Si Tenor Diſcantus clauſulam habuerit,

Quæ erit ratio reliquarum Vocum?

Tunc Baſis Tenoris naturam aſſumens, cum ipſo ſuaviter concordabit, & Diſcantus reſpectu tenoris, ex quinta penultimæ in tertiam detrudet ultimam, aut ex quintæ octava in penultima per ſecundam declinabit, atq; cum Baſi in Decima ſeptima concordabit, aut deniq; ex antepenultimæ Octava, quam cum prima ejus parte ſonabit, per tonum elevabitur. Altus vero plerunq; tertiam cum Baſi habebit in penultima, aut alio convenienti modo locabitur.







Dic aliam Regulam?

Interdum Tenore Discantus clausulam habente, & Discantu Tenoris formam obtinente, reliquæ voces citra immutationem adijci possunt:

Simi-



Similiter multoties Tenor Baſis gravitatem imitatur, præſertim in trium Vocum concentu, 1. & Baſis interdum etiam laſciviens clauſulas inſtar Diſcantus format. Tenore interim ſuam formam obtinente.





Porro

Porro hanc diversissimam Vocum permutationem difficile est præceptionibus includere. Ideo eam rectius artificum exempla docebunt quorum cantus crebrò sunt resolvendi, ut Varietas clausularum notior fiat, & perpetuò ob oculos versetur.

CAPVT NONVM.

De modis Musicis.

NVnc amplissimam Modorum musicalium doctrinam aggredimur, quæ sanè unicus est ac præcipuus scopus artis Musicæ, ad quem omnes tam Græci, quam Latini scriptores Musici contenderunt.

Nam qui modos ignorat Musicos, quantumvis eleganter canat, aut componat harmonias, haud absimilis est rabulæ forensi, qui plurima quidem magnifica fundens verba, confusè tamen omnia dicit, nec cohærentia nectit membra, unde sæpè plus causæ cujus patrocinium suscepit, officit, quam quod eam in judicio proue hat. Sic & Modorum Musicalium ignari, quantumvis natura ad hanc artem proni, extra limites ruunt, & Harmonias plus vocem quam artem sonantes,

tes,

tes, absq; judicio depromunt, deq; ÿs nec judicium ferre, nec alios judicantes tolerare possunt. Quare cum nihil æquè acuat Musicum ingenium imò nihil sit æquè Musicum, quam Modos nosse, eosq; eruditè discernere, operæ precium me facturum arbitror, si compositionis præceptionibus Modorum doctrinã ex doctissimi Glareani sententia subjunxero. Nam Concentus nullo certo inclusus modo, inanis est strepitus, qui apud doctos laudem nullibi meretur. Quæ vero Harmonia certis Modorum metis inclusa procedit, ea demum gratiosa est, & Musicas aures afficit.

De appellatione Modorum.

Veteres Græci τρόπος, συστήματα *& Harmonias: Latini Tonos, Modos & Constitutiones appellarunt. Etsi autem Toni appellatio propriè perfectæ secundæ, scil. ut, re, &c. competit, tamen Boëtÿ tempore (qui inter Latinos Musicam primus conscripsit) eadem, Modos appellatos esse videtur. Nam sic ipse inquit lib: 4. cap: 14. Ex Diapason consonantiæ speciebus existunt, qui appellantur Toni, quos eosdem & Modos & Tropos nominant.*

Quid sunt Modi Musici?

Sunt ipsissimæ species Diapason, Quartarum ac Quintarum, ex quibus singulæ constant combinationibus variatæ:

Vnde constituuntur singulæ Diapason species?

Ex Diapente & Diatessaron speciebus, juxta diversa semitoniorum loca variatis. Porro ut plenè intelligatur Modorũ doctrina, cognoscendum est prius, quot species, quodlibet horum intervallorum, quasq; semitoniorum variationes habeat.

Quot species habet Diatessaron?

Hic primum tenenda est regula D. Severini, quam lib: 4. cap: 13. his verbis exhibet. Consonantiarum semper una minus species erit, quam fuerint voces: hoc est, Omne intervallum vnam semper minus habet speciem, quam est numerus phtongorum. Diapente, igitur, quinq; habet sonos, sed quatuor tantum species, scilicet. Re la, MI, MI, fa fa, ut sol. inq; his ubiq; semitoniorum loca variant.

Quot species habet Diatessaron?

Tres scil. ut fa, re sol, mi la. atq; in his quoq; singulis. Semitoniorum loca non sunt eadem, quæ Variatio Diapason quoq; specierum formas mutat.

Quot species habet Diapason?

Octo quidem distinctos sonos: sed septem duntaxat species, juxta regulam superius traditam, variamq; in singulis semitoniorum locis.

Quot sunt Modi Musici?

Juxta septem Diapason species, septem etiam erunt

Modi


Modi Musici verum singulæ species geminæ existunt, ideoq; quatuordecim modi prodibunt, ex quibus tamen duo nothi existunt.

Quomodo Dividuntur singulæ species?

Bifariam. Harmonicôs & Arithmeticôs, &c.

Quid est Harmonica divisio seu Mediatio?

Cum species aliqua Diapason ita disponitur, ut Diapente inferiorem Diatessaron vero superiorem locum occupet. Dicitur Harmonica, quia talis dispositio concentui idonea est:



Quid est Arithmetica divisio?

Est Harmonici systematis inversio, hoc est, cum species aliqua Diapason, ita ordinatur, ut inferiori loco quarta superiori loco vero quinta locetur. Dicitur Arithmetica, quia apud Arithmeticos numerus major superiori, at minor inferiori loco ponitur: ideoq; magis numero, quam Harmonia constat. Talis enim chordarum dispositio viciosa est:




Species autem Diapaſon, ex quibus .14. Modi Muſici oriuntur ſunt ſeptem:

A.	♮	*c.*	*d.*	*e.*	*f.*	*g.*
1.	*2.*	*3.*	*4.*	*5.*	*6.*	*7.*

Subiice ſingularum Diapaſon ſpecierum mediationes.





Ex hac ſyſtematum collocatione, apparet duas ineptas mediationes, propter Tritonum, ac ſemidiapente concurrere, vnam in ſecunda, alteram vero in Sexta Diapaſon ſpecie, ideoq́ duos Modos Hyperæolium ſcilicet, 13. & Hyperphrygium, 14. ut nothos reijci, Duodecim autē legitimos aſſervari, ac in uſu Muſico retineri.

Recenſe Modorum Nomina, eorumq́; verum Ordinem.

Duodecim γνήσιοι *Modi vero ordine, juxta præcipuos Muſicæ authores his nominibus recenſentur.*

Dorius

1.	*Dorius.*	2.	*HypoDorius.*
3.	*Phrygius.*	4.	*HypoPhrygius.*
5.	*Lydius.*	6.	*HypoLydius.*
7.	*Mixolydius.*	8.	*HypoMixolydius.*
9.	*Æolius.*	10.	*Hypoæolius.*
11.	*Jonicus.*	12.	*HypoJonicus.*

Quomodo dividuntur?

Horum 12. Modorum alij sunt Authentici, alij Plagales.

Autentici sunt Harmonicôs divisi, ut sunt Dorius. 1. Phrygius. 3. Lydius. 5. Mixolydius 7. Æolius. 9. Jonicus 11.

Dicuntur Authentæ à Græco αὐθέντης, *hoc est author seu Dominus, idq; propter majorem licentiam in ascendendo.*

Plagales sunt Arithmeticè divisi, & sunt, reliqui, qui apposita præpositione ὑπὸ *significantur. Dicuntur Plagales à Græco* πλάγιος, *id est, Inversus, propter Quartæ inversionem.*

Explica 1. Modum: Dorium.

Primus Modus Dorius, à Doribus gente Græca, cui familiarissimus fuit Dictus, oritur ex quarta Diapason specie, ac versatur intra dico D. & d, & dividitur Harmonicôs in à parvo per voces Re, la, Re sol. Porro hic Modus, non contemnendam majestatem ac

Gravitatem, **Es ist ein feiner erbar** *Modus, competit modestis rebus ac materijs (miram, cum alacritatem, tum suavitatem præ se fert, & non rarò supra systema ad tertiam usq; levatur idq; per licentiam Musicorum, juxta Glareanum, qui Modos cum fluvio comparat, alveum nonnunquam implente, nonnunquam excedente, nonnunquam deficiente) præsertim cum peculiarem lætitiam declaraturus est, ab Apulejo Religiosus, à Luciano* σεμνὸς, *id est, Severus: ab alijs prudentiæ largitor & castitatis effector nominatur. De hoc modo sic Franchgius inquit. Pythagoreorum consilium fuit, interdiu Hypodorij Cantionibus curas levare & Dorio noctu experrectos ad intermissa studia reverti.*



Exempla hujus modi tanquam principalis ubiq; sunt obvia: Vide Langij Et respondens. Meilandi Non auferetur: Beati omnes. Nucij. Puer qui natus est, &c.

Explica

Explica Hypodorium 2. Modum.

Plagalis modus Prioris, HypoDorius dicitur. Oritur autem ex prima Diapaſonſpecie. Nam intra A & a. verſatur, & dividitur Arithmeticos in: D. magno, in quo etiam cum principe ſuo quieſcit, per voces Re ſol, Re la. in figurali cantu ad quartam elevari, neceſſe eſt, cum fa in b fa ♮ mi, vt infimæ quoq; Voci locus eſſe poſſit, quāvis hoc fieri de neceſsitate non eſt. Habet autem tetricam quandam gravitatem, minimeq; adulatoriam, quò quidem Eccleſia videtur uſa in rebus mœſtis & triſtibus, ut tractus Quadrageſimales, & nonnulla reſponſoria oſtendunt: Exempla ſurge propera 6. Orlandi Adaperiat Dominus cor veſtrum 5. Lechneri 5.



D. A. T. B.

Explica Phrygium Tertium Modum.

Tertius modus à Phrygib. gēte Græca dictus, ex quinta Diapaſonſpecie oritur & voluitur inter E magnū, & e parvū, ac dividitur harmonicos in b fa ♮ mi dura clavi

claviper voces Mi Mi mi la, exit tandem in E magno. Horatius Oda 9. hunc modum Barbarum vocat. Alij impetuosum, alij relligiosum appellant. Porro severam indignantis insultationem habere dicitur: ideoq; (ut Franchinus scribit) Veteres in rebus bellicis Phrygij modulo, ut acerrimo sono usi sunt. Hoc modulo Taurominitanus Juvenis (ut narrat Boëtius) excitatus, domum in qua scortum latitabat comburere festinavit. Phrygio item cantu Timotheus Milesius Alexandrum regem in convivio sedentem, ad capessendum arma concitavit, ut scribit Franchinus lib: 4. cap: 8. Glareanus tamen trenos, Epicedia; planctus, lamentationes, querelas, commiserationes & similia huic modo optime convenire arbitratur, &c.



Exempla { *In me transierunt 5. Orl.*
Deus misereatur nostri. 8. Orlãdi.

Explica HypoPhrygium Quartum Modum.

Quartus modus HypoPhrygius dicitur: Nam Prioris inversum systema habet. Oritur autem ex secunda

Dia-

Diapason specie in E. magno, divisa per voces Mi La. Mi Mi. Et cum suo autentico in E magno finit. Transpositus per quartam, ut locus sit infimæ voci Cantus ♭ mollaris. Tristis, querulus & lamentabundus est, Modus, ac ad fletum aptißimus, ideoq; threnis & Epicedijs quoque conveniet. Lacedæmoniorum milites Hypophrygij modulo à pugna revocabantur, ut testatur Franchinus lib: 4. Instr: Musicæ Cap: 8.

Exempla In monte Oliveti 6. Orlandi. Terra tremuit. Alex: Vtendalij, &c.



Disc: Alt: Ten: Basis.

Explica Lydium Quintum Modum.

Quintus Modus à Lydis Asiæ populis Lydius dictus, ex sexta Diapason specie ortum ducit, decurrit enim in F & f. ac dividitur Harmonicôs in c sol fa ut per voces fa fa, ut fa. Veteres Ecclesiastici Lydio ac HypoLydio propter Diapente severitatem in gradualibus & paßione Dominica, multoties usi sunt. Nostra

vero ætas hoc ipso modulo equitem ad arma & pugnam vocat. Est enim minax & severus modus, quem tamen, ut levem Plato rejecisse legitur. Exempla Fratres expurgate 6. Alex: Vtendal: Beati qui habitant. Philippi de monte.



D. A. T. B.

Explica Hypolydium sextum Modum:

Prioris subjugalis Hypolydius dictus, ex tertia Diapason specie, Arithmeticôs divisa per voces ut fa, fa fa oritur: voluitur. enim intra C. & c. & tandem in f fa ut cum principe suo quiescit. Appellatur alius vetus sextus, & est mediocris jocunditatis, parum enim elegantiæ habet, propter mediationem sub tritono factam. Exempla: Non turbetur cor vestrum Philippi de Mōte. Ecce Dominus veniet. 5. Jacobi Handl:



Explica

Explica Mixolydium ſeptimum Modum.

Septimus Modus eò quod cum Lydio ſæpè miſcetur: Mixolydius quaſi Mixtus Lydius appellatur. Oritur autem ex ultima Diapaſon ſpecie Harmonicôs diviſa in d la ſol re, per voces ut ſol, re ſol. Nam intra G. magnum & g. parvum conſiſtit. Fuit hic modus veteribus Eccleſiaſticis valde gratus, ob multas virtutes, quas habet, maximè vero ob ſedatam quandam gravitatem. Ejus Cantiones non ſunt ſupra modum jocundæ, ſed honeſtatem & gravitatem magis repræſentant. Convenient itaq; huic modo, illuſtriora S. Scripturæ dicta, pietatem redolentia, nec non inſigniores ſententiæ, quas γνῶμας *Græci dicunt. Noſtra ætas nobilitatem vix agnoſcit, adeò ad omnia obſurduit honeſta, ut inquit Glareanus. Exempla confundantur 5. Orl: Sicut mater. 5. Orlandi.*



Explica HypoMixolydium Octavum Modum.

Octavus eſt Mixolydij plagius. Unde Hypomixoly-

dius dictus. Oritur autem ex quarta Diapason specie, ut primus, sed dividitur Arithmeticôs in G. magno per Voces Re sol, ut Sol, & quiescit tandem cum principe suo in G. Porro hic naturalem quandam suavitatem, & auribus affluentem dulcedinem, modestia & delectatione mixtam habet, unde à Veteribus in delicijs est habitus. Conveniunt huic modo res piæ res honestæ ac jocundæ. Nota quòd hic modus præter mediationem ac finalem clavem, reliqua omnia quantum ad tonorum semitoniorumq; dispositionẽ attinet, communia habet cum Dorio. Exempla Benedicam. 5. Orlandi. Nunc dimittis, 6. I. Nucij 5.





Explica Aëolium Nonum Modum.

Hactenus octo modos Musicos, quos Cantorum Vulgus tantum mordicus defendit, ex mera Diapason specierum earumq; mediationum inscitia brevißimè recensuimus. Nunc ad reliquos γνησίους, id est, legitimos accedimus, qui simili divisione ex Coëteris Diapason

pason speciebus nascuntur. Ex his primus (alioquin in ordine nonus) Æolius, ab deolibris Græca gente, nominatus. Ortum ducit ex prima Diapason specie, harmonicôs in E magno divisa, per voces re la mi la. Porro tersus, mitis ac mirè suavis est hic tonus vel Modus cum jocunda enim dulcedine gratam habet severitatem, quam non modo Diapente re la, Porrò communem, verum etiam Diatessaron Mi la excitat. Nota quod hic modus plerunq; ad octavam in scala dura transponitur, & non raro supernè tertiam adijcit ut Dorius in scala b mollari.

Exempla Benedictio & claritas 6. Orl: Deus in adjutorium. à. 6. Orlandi.





Explica Hypo Aelium Decimum Modum.

Inversum Æolij systema, Hypoæolium ostendit, quæ quidem per transpositionem ex quinta Diapason specie Arithmeticôs in a parvo divisa per Voces Mi la, re la, ne ex-

ne extra scalam erumpere sit necesse. Porro non adeò gravis est, ut Æolius Diatessaron enim Mi la, commiserationem habet. Sed Diapente gratam oblectationem. Exemplum Domine à lingua dolosa 5. Hannibal Paduano.



D. A. T. B.

Explica Ionicum Vndecimum Modum.

Vndecimus Modus Jonicus ab Jonibus Græca gente dictus, ex tertia Diapason specie oritur, graditur enim intra C magnū & c parvum ac dividitur Harmonicôs in G. per Voces ut sol, ut fa, Hodie plærunq; in f fa ut cum fa in b fa ♮ mi transponitur. A Luciano γλαφυρὸς. id est, jocundus, & ab Apulejo Varius & lascivus nominatur. Porro ut Jonum levitas etiam proverbio celebrata nota est: ita ipsorum modulus in totum saltationibus & delicijs addictus, suavitatis ac jocunditatis habet multum severitatis prope nihil: Quidam huic modo lascivem petulantiam ascribunt: quippe ad quem inter saltandum petulantes fiant motus. Vnde illud Horatij. Modus doceri gaudet Jonicos matura Virgo. Exemplum cum intrasset Jesus. 5. Jachetis VVerth.

Explica

Ionum modulus saltationibus addictus nihil habet severitatis

NB Motus

Vide epistolas Gralcanicas et Iosephi Scaligeri epigrammata ex Græco conversa edita post eius mortem à Casaubono. ibi est illud: O motus fraudum artifices!



Explica HypoTonicum Duodecimum Modum.

Vltimus modus HypoTonicus dicitur; quia Tonici Plagalis est, & oritur ex ultima Diapason specie Arithmeticôs divisa per voces, Vt fa, Vt sol, exit tandem in clave sui autentici. Transponitur etiam ad C magnum sed cum fa in b fa ♮ mi. Porro hic Modus lasciviem representans, nihilominus sicut Tonicus ad omnes levitates usurpatur propter jocunditatem. Viderint, ergo artifices, quomodo his duobus modis res serias, pias & graves adhibeant cum jocunditatum ac suavitatum sint refertissimi. Exempla. Christus resurgens 5. Orl: Providebã Dominũ: 5. Jach: VVerth.



Tabula monstrans ex quibus speciebus Diapason singuli Modi oriuntur.

1. *Dorius ex D: 4 ta.*		2. *Hypodorius ex A. 1 ma.*	
3. *Phrygius ex E: 5 ta.*		4. *HypoPhrygius ex* ♮ *2da.*	
5. *Lydius ex F. 6 ta.*		6. *Hypolydius ex C. 3tia.*	
7. *Mixolydius ex G. 7ma.*	*specie*	8 *Hypomixolydius ex D. 4ta*	*specie*
9. *Æolius ex A 1 ma.*		10. *Hypoæolius ex E 5 ta.*	
11. *Jonicus ex C 3 tia.*		12. *HypoJonicus ex G. 7ma.*	
Spurij. 13. *Hyperæolius ex* ♮ *2da.*		14. *Hyperphrygius ex F. 6ta.*	

NOTA. Quotiescunq; in plurium Vocum compositione; alicujus Authenti Systema habuerit Tenor, & Discantus, ejus Plagalis mediationem habebit Bassus & Altus, & quotiescunq; Plagalis, alicujus Modi Systema habuerit Tenor & Discantus, contrarium sui Autenti habebunt Bassus & Altus, & sic per omnes Modos.





Finales Modorum Claves in Scala ♮ Duri.

Dorius

Dorius.	1.	*HypoDorius.*	2.	D. d.
Phrygius.	3.	*Hypophrygius.*	4.	E. e.
Lydius.	5.	*Hypolydius.*	6.	F. f.
Mixolydius.	7.	*Hypomixolydius.*	8.	G. g.
Æolius.	9.	*Hypoæolius.*	10.	A. a.
Jonicus.	11.	*Hypo Jonicus.*	12.	C. c.

His modis singulis, singula exempla, in descriptionibus eorundem, adscripsimus superius, &c.

NOTA: *Quoniam vero à Musicis hoc tempore frequenter hi Modi è suis naturalibus sedibus, quas sibi in scala ♮ durali vendicant, removentur, & ad quartam supra in scalam b mollarem transponuntur, nos etiam huc illorum finales sedes, & exempla adijcere, voluimus.*

Finales Modorum Claves in Scala b mollis.

Dorius.	1.	*HypoDorius.*	2.	G. g.
Phrygius.	3.	*Hypophrygius.*	4.	A. a.
Lydius.	5.	*Hypolydius.*	6.	B. b.
Mixolydius.	7.	*Hypomixolydius.*	8.	C. c.
Æolius.	9.	*Hypoæolius.*	10.	D. d.
Jonicus	11.	*Hypo Jonicus.*	12.	F. f.

Subjice horum Modorum transpositorum Exempla.

1. *Dorij. Videntes Stellam Magi. 5. Orl: Ab oriente. 5. J. Nucij.*
2. *Hypodorij. Jesu nostra redem: 6. Veni in hortum. 5. Orlandi.*
3. *Phrygij. Lauda mater Ecclesia 6. Orlandi.*
4. *Hypophrygij. Miserere mei Deus. 4. Alex. Vtendal: Domine non secundum. J. Nucij.*
5. *Lydij. Deus in adjutorium Ludovici Senfell:*
6. *Hypolydij. Fili quid fecisti nobis. Homeri Herpol:*
7. *Mixolydij Domine rex Omnipotens. a 5. Jacobi Kerles.*
8. *Hypomixolydij Lauda Jerusalem: â 6. Orlandi.*

9. *Æolij Intuemini quantus sit iste Jacobi Regnardi. Oravi Dominum. 6. Constantini Portæ.*

10. *Hypoaëolij. Timor & Tremor Alphonsi Ferabosij.*

11. *Jonici. Omnis homo primum bonum Vinum: Jaches VVertb.*

12. *Hypojonici. Tempus est ut revertar. 6. Orl: Estote misericordes: à. 7. Orlandi. Factum est silentium: à 5. Joh: Nucij, &c.*

Hæc pauca exempla ex notioribus symphonetis pro pleniore Modorum cognitione Tyronibus hujus artis examinanda subjecimus, plura ex probatioribus authoribus, cum sint ubiq; obvia, quilibet petere poterit, præsertim ex Homeri Herpol: Evangelijs, & Alexandri Vtendalij Psalmis Pœnitentialibus, &c.

Conclusio Operis.

Nunc Coronidem Compositionis præceptionibus, ex probatis partim authoribus collectis, partim qualicunq; usu, studio, exercitatione & experientia conquisitis imponimus, quarum utilitatem, ut aliquando experiamini Tyrones, vestrum erit diu multumq; in illis desudare, nec laborum mole deterreri, multo minus artem jocundißimam ac cognitu necessariam abijcere: sed cogitare quod Omnia conando docilis solertia vincat. Quod super est, ardentibus votis ac toto pectore Deum optimum precor, ut in tot tantisq; relligionum distractionibus ac confusionibus, artiumq; plus quam barbarico contemptu, discentium ac docentium cœtus suo spiritu regat, & sacram Musicam contra

Sacra-

Sacramentariorum, Anabaptistarum aliorumq; Hæreticorum furores clementer conservet, ac Ecclesiarum incendia spiritu pacis & veritatis benignè restinguat, quo uno ore omnes & singuli, hic & in ævum nil nisi præconia & laudes Dei sonemus.

Homerus Herpol: in Epistola Dedicatoria ad Otthonem Episc: Cardinalem, &c.

Ex his etenim septem διαπασῶν *speciebus, quæ his septem characteribus. a. b. c. d. e. f. g. notantur, si singulæ harum harmonicôs & Arithmeticôs dividantur, quatuordecim modi enascuntur. Duo tamen tanquam nothi spurij & impuri propter Tritonum rejiciuntur, remanent vero duodecim* γνήσιοι *& legitimi, qui dividuntur in authentos sex & in totidem plagios, Authentæ Diapente infernè Diatessaron supernè postulant & hæc divisio nuncupatur Harmonica: Plagij sex contrario ordine gradiuntur: Diatessaron enim inferiorem locum, Diapente superiorem sortitur, & hæc est divisio Arithmetica, quia magis numero, quam Harmonia perficitur. Totius autem difficultatis cardo, in Semitonio minore latitat, nempè quo in loco statuatur, quem nisi quis cautè attenderit, cito & facilè in errorem incidet, præsertim inter Modos. 1. & 9. 2. & 10. 5. & 11. 6. & 12. in quibus Semitonium Minus non eundem locum occupat. Nomina autem 12. Modorum hæc sunt. Dorius Phrygius, Lydius, Mixolydius, Aëolius & Jonicus, hi sunt sex Authentæ: Plagij vero numerantur Hypodorius, Hypophrygius, Hypolydius, Hypomixolydius, Hypoæolius, & Hypo Jonicus. Hos etiam duodecim Modos sine contentione Cantus Ecclesiastici sive Gregoriani perpulcrè & artificiosè referunt, ut aliquando si* D E U S *nostris votis annuerit, ad ipsorum imitationem modulandum proponemus, &c.*

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in Vita mea: psallam Deo meo quam diu fuero Psalm 145.

F I N I S.

E P I G R A M M A
De Præstantia Operis
Ad quemlibet Musices Studiosum.

QVisquis aves praxin cantûs, compendia nosse;
Sub Methodo NVCIVS dat tibi certa brevi.
Quàm timui properi nè per fera spicula Lethi
Hoc forsan densâ nocte lateret opus!
Lustra decem, binam trieterida junxeris, egit
Nunc vitæ, totidem ô addat ad illa DEVS!
Clarius ut diû Nomen succrescat ab arte,
Sitq; Gemielnicio de Lare major honos.
Quisquis aves ergò praxin, compendia Cantûs:
Sub Methodo NVCIVS dat tibi certa brevi.

annexuit

Martinus Prætorius Siles: Othmuch: Sere: Arch:
Aust. CAROLI, &c. Alumnus.

Errata sic corrigantur. A. B. C. &c. significat quater: foliorum. Pag: paginam. lin: lineam. leg: lege.

B. *In 1. pag: Et si lege. Etsi Pag: 5. lin: 3. gratißimus, lege, gratißima.*

C. *In pagina 4. lin: 17. si enim: lege, si in. pag: 5. l: 10. religatæ lege relegatæ. Pag: 6. lin: 1. artificium. lege artificum. lin: 10. vllisiones leg: collisiones lin: 15. docuiß: leg. doctißimi. pag: 7. lin: 12. celse lege celsi. pag. 8. l. 9. Musicam lege Musicum. l. 10. notæ. lege nota.*

D. *Jn 4. pag: lin: 7. Verbis lege Vocibus. pag: 7. l. 1. & Respect: lege & de Resp:*

E. *In 6. pag: lin: 14. intelligernnt lege intelligerent l: 15. componund- lege componendi. pag: 8. l. 12. Discantns leg: Discantus.*

F. *In pag: 4. l. 24. superius leg: Superius. Pag: 6. l. 5. Thenor. lege, Tenor. Pag. 7. l. 23. contentus leg: concentus*

G. *Jn 1. Pag: l. 8. In Clem: le: Clemẽ: Pag: 3. l. 16.* [illegible] *le.* [illegible]

H. *In 6. pag: Franchgius lege Franchinus.*

K. *In 4. pag: ult. lib: Coëteris l. cæteris. Pag: 5. l. 2. deolibris. lege Æolis. pag. 6. l. 19: Modus. leg. Motus. Pag: 7. pro Tonic: lege ubiq; Jonic:*

Argumentationis vitia multa sunt ut illud
ex Ioanne Oweno epigramma ingeniosum monstrat:
Nil distant labor atque labos, nil arbor et arbos,
Idem honor est et honos: qui rapit ergo sapit.
At hanc consequentiam multi sequuntur, etsi vici
osissima sit. Quae enim consequentia est rape
re et sapere idem esse quia labor et labor
aut arbor et arbos idem significant? Hinc illud
nostratium est Kohoss gdaze a przeciw podru
iayca biorą. quod cuidam ~~[illegible]~~ Rawa in
Masovia dictum audivi a praeposito illius Eccle
siae. NB mihi pridem tunc hoc Oweni con
sequentia venit in mentem.

Hujus exemplum, inter caetera apud
Terentium in Phormione. Act 2. scen 4
consultant quibus Demipho ait
facessis probe:
— — incertior sum multo quam dudum — —
Itidem Actu 3 scena 2
— — — — A. nos pudet
Vanitatis? D. minime, dum ob rem. — — —
in Eunucho Act 3 scen 2
— — fac periculum in literis
Fac in palaestra, in musicis quae liberum
Scire aequum est adolescentem, solertem dabo.

Kto tam u niego Sey siedzi Ambiguum qui solus
sedet qui u niego Jasiadowie Say
A co panowie Zolmirze robią. Biorą Anagramma.
Aliquando fit ambiguitas ex Macaronico genere dicendi
ut cum aliquis dixisset Nirmass tam nec generosum
alius dictum putabat Nirmass tam nec iano rozum.
quod Quantum distat ab illo?

Scaeedit ludum ingeniosum quidem dicebat esse sed operosum. Itaque dum ab aliis provocabatur singula ad Anagrammata. At haec ludicra sunt: respondebat illa, His nominum ludimus

Dum pueris vigilans nimius dum tessera fallit.

An Anagrammatismi sint Notationes Logicae?

~~Cum Anagrammatismi~~ Cum Etymologia sit vera nominis ratio, id est veram nominis rationem explicat in aperto est anagrammatismos quibus studium nostrum saepe in nugis negociosissimum ludit pertinere ad Etymum Notationis praesertim cum ex eodem nomina tam bonus quam malus prodire posset

Gladius Delphicus Sophisma

Qui dicit tua Bemata esse Bemata is verum dicit

Qui dicit tua Bemata esse falsa Bemata, dicit tua Bemata esse Bemata

Ergo qui dicit tua Bemata esse falsa Bemata, is verum dicit.

Captiosus Sorites

Si nullum tempus est, dies non est. Si dies non est, nox est. Si nox est aliquod tempus est. Ergo si nullum tempus est aliquod tempus est.

Nugae ociosis hominibus placuere. Sunt scopae dissolutae. Supposito enim quod nullum temp[us]


Contra Catarrhum in pectus destillantem. Fontium Doctoris
Balam dyscancystey zmudru, ptak wszystkie płuca jej
chodzęty za na starszo zdrowie. NB.

Quarta prodit prima mox tertia deinde secunda
Quintaq cum sexta claudat. AMICUS id est.


Non apud ardentes flammas est palea (stoma) tenenda
= Celestes violare Deos occasio posset.

Hispanorum proverbium In arca aperta etiam Sanctus
peccat. Occasio facit (furem) peccare.


Anagramma DOMVS MODVS




Extra DOMVM qui vivit est extra MODVM



Extra DOMVM qui vivit est extra MODVM



Extra DOMVM qui vivit est extra MODVM




Extra DOMVM qui vivit est extra MODVM

Est ambiguum, vel enim dictum est a Sum vel ab Edo es, est. An vero eadem ambiguitate lusit ille qui dixit:


Sat propera, nec te venturas differ in horas;
Qui non est hodie cras minus aptus erit?

Affirmo nihil.


Duplex anagramma AMICVS : MVSICA . CAIMVS




In orbe non AMICVS est : CAIMVS est



In orbe non AMICVS est : CAIMVS est



In orbe non AMICVS est : CAIMVS est



In orbe non AMICVS est : CAIMVS est.
Cons dicebat Ioannes igitur modum quo ταυτολογεῖν licer
Addebat autem praeciderat in suis Iambis aliud carmen quod
quod in poeticos numeros musicorum cadere non posset
Excedit experientiam omnem hoc MVSICA
In orbe non AMICVS est : CAIMVS est.
Sunt enim paria amicorum numerantur in mundo? Familiaritas
multi sunt sed Nulli credo.

Ridiculus error ex Aristotelis Metaphysicis
quod non est in textu Aristotelis sic:

« Totum non est constituens sed constitutum, partes autem
« semper sunt constituentes. Ergo partes non sunt totum.
« Bis tria non sunt sex inquit Aristoteles 7 Metaph. c. 17
« Resp. Nos non dicimus partes esse totum simpliciter, sed
« partes unitas esse ipsum totum, et ratione ab eo
« differre. Per partes autem hic cum scholasticis intelligimus
« non tantum integrales, sed et essentiales, id est materiam
« et formam quas Alii in Logicis non vocant partes
« sed tantum causas rei. Deinde bis tria non sunt
« plane idem quod sex, id est non sunt formaliter
« sex, sed per modum compositionis materialis id
« est per additionem.

Nox sit propositio
Nox est non sequitur ex isto
Dies non est sed tantum
sequitur ex eo supposito
quod aliquod tempus sit
Pone analytice et
videbis
Si nullum tempus sit dies
non est
Posito tempus esse si dies
non est nox est
Si nox est aliquod tempus
est. etc.
Insigne ασυλλογισμος
vitium.
Agit de eo Savonarola
in fallacia accidentis.